

Theol. 1692

B.38


Maxima Felicitas
Propitiae Trinitas
Piorum haereditas -

Ax

284

147

P. 8. de
J. S. Sievelbein
ex Biblioteca Domini Pastoris Johannis
Nathanael Skodeisky.
me possidet.



13
Vetus Diocesis Dn. Hr. Georg Ziegler ist Diaconus zu St. Peter
in Riga geworden und hat am 15. Sept. 1597 d. 23. Julii in Confessione, wie
fr. dne Petri des Jezu Christi das Erstau ausgetilte, empfangen, dadurch
dass ein Zecklang die Lande verboten. Am 25. Augusti ist fr. arionus zu
Landz g. Rommum und hat öffentlich fr. eius sub. Indulgencia gespae.
Anno 1601 d. 12. Januarii ist fr. wegen gebrauchter Auszügliehriten auf der
Landz fr. eius Embellis aufgezogen, woran fr. ex nihil fr. und dne d. nach
Löningberg gezogen und alda fr. fortun gemaht haben soll.
D. fr. Diocesus ist am 1. Aug. im Brüderkloster dem Tode. Zell polenska & Siegel
in welchen ein Antwerpener Höherer Leibarzt befindet, von der Sächsischen Glaub-
lichkeit nach erheischt die Bild zu jenseit gebracht, zu bestaun. Wegen
der bewohnten Städten und Provinzen, so darunter zu finden, ist es nicht leicht zu lefern,
sondern auf zum Antheilung laugwissig zu munden, sehr an nichts leicht zu gehorchen.

Ex libris Johannes Haltony
Sibi compensisit ob. L. 1.
Dantzig the 2nd April
1646

Kadde Jaum mij.

Quod tibi fieri non vis alterius feceris

~~Noli altum sapere.~~

DE
INCERTI.

TUDINE RERVM
HUMANARVM.

DISCURSUS,

Theologicus, Ethicus, Historicus.

GEORGII CIEGLERI.

BIBLIO.
THECA
RIGENSIS
49

Halton
1626.
Rector. John
Gard. R. L. M. Matthia
EX OFFICINA TYPOGRA-
PHICA NICOLAI MOLLINI.

M. D. XCIX.

1598



284

DAVID CHYTRÆVS THE-
ologie Doctor, Georgio Cieglero.

S. D.

REverende & Doctissime vir, amice
colende. Gravissimo catarrho to-
tum mensem Iunium laboravi, ita ut noctes
aliquot insomnes, tussiendi necessitate duxe-
rim, & de suffocatione non leviter periclitarer.
Nihilominus aliquid temporis, eruditæ & gra-
vissimæ disputationi tuæ de Incertitudine re-
tum humanarum tribui. Quæ non modò
argumentum, quod tractandum suscepit, me-
thodo perspicuâ explicat: verùm etiam illece-
bris variarum historiarum, exemplorum, sen-
tentiarum, dictórum, allusionum, ita condit-
ur ac exornatur, ut mirifico lectorum ani-
mos amore sui inflammet, nec unquam disce-
dere satiatum patiatur. Hæc, si vivam & va-
lebo, in epistola quadam ad te copiosius ex-
ponam, quæ adjungi operi tuo poterit. Nunc
petitioni tuæ, quâ statim remitti librum vo-
lebas, satisfacio. Benè & feliciter vale. Nonis
Iulij. Anno 1598.



GENEROSIS,

AMPLISSIMIS, PRV-
DENTISSIMIS QVE
DOMINIS

BVRGRÄUJO *pro tempore* REGIO
D. FRANCISCO NEVSTEDIO.

PROCONSULIBVS.

D. { CASPARO BERGIO.
NICOLAO EKIO.
CASPARO VOM HOFFE.

PRÆTORI *pro tempore.*

HENRICO VLENBROCCIO.

SRNDICO

D. DAVIDI HILCHEN Reg: Matis: Pol:
per Livoniam Secretario.

CONSVLIBVS.

- { Gerhardo Hudde.
Eberhardo Hausmanno.
Ottoni Kannio
Conrado Wachmano I. V. Docto-
ri & inspectori Grammatophylacij.
Iohanni Mejero.
Casparo Dreilingio adili.
D. Gerhardo Maneken.
Andreæ Coje.
Iohanni Sleper.
Iohanni Friderico.
Iohanni Böddeker.
Rothgero Horstio.
Theodorico Rigemano.

SECRETARIIS.

- { Laurentio Ekio.
D. Iohanni Overhovio.
Philippo Tustio.

DOMINIS ET MECOENATI-
bus perpetuâ reverentiâ colendis, sub-
missè meritoq; consecrat.

Sub-

SUbmisè, inquam, merito vobis
Generosi Domini, Amplissimiq; vi-
ri consecro, hoc qvicquid est operis,
cujus frontem nominibus vestris veluti luci-
dissimis, nobilissimisq; unionibus illustratam, in
lucem prodire volui; vestri causa, Reipub:
mea. Vestri quidem, quorum tanta virtus est,
tanta pietas, Vera religionis doctrinaq; cœ-
lestis amor, ut puritatem ejusdem ministerio D.
LVTHERI quasi postliminio revocatam, quam
fidelissime conservetis; conservatam ad posteros
propagare sedulò nitamini. Huc omnes inge-
nij nervos intenditis; huc omnia consilia vestra
dirigitis. Hinc tam copiosus prodit alumno-
rum numerus, quos omnes domi foris ma-
gnis impensis alitis, Omni liberali disciplinâ,
principue autem doctrina cœlestis scientiâ erudi-
endos curatis. Non satis esse ducitis, civita-
tem habere, præclaris munitam legibus, splendi-
dis decoratam armis, instructam civium non
contemnendo numero: mercaturâ insigni, con-
cursu omnium nationum, alijsq; vita prædijs
celebrem: nisi sumnum hoc Rerumpub: or-
namentum in ea conficiatur; quod est vera

(*)

Dei

Dei RELIGIO, purusq; divini numinis cultus.
Nullum est, inquam, illustrius decus Reipub:
vestra, quam quod publice sonat, veram & in-
corruptam Evangelij vocem, conservat legitimi-
mum usum Sacramentorum, hospitium præbet
Ecclesia vera, & domicilium est pietatis, do-
ctrina cœlestis, artium liberalium & discipli-
narum. Ita ut merito; quemadmodum olim
Pindarus Athenas Gracia Museum nomina-
vit; nos RIGAM Livonia MVSÆVM appel-
lemus. Altera debinc ludi literarij cura: que m-
cum seminarium esse Ecclesia & Reipub: probè
perspectum habeatis: in id summo studio incu-
bitis, illum ut quam optimè constitutum, præ-
clarisq; legibus munatum, & doctissimis in om-
ni literaturâ Preceptoribus florentem confici-
atis. Hic etiam nullis parcitur sumptibus, nul-
lus labor intermittitur. Ut nihil hic dicam in-
terim de exercitijs, tûm privatis, tûm publicis:
de declamationibus singulis calendis, non ex
præscripto, sed memoriter, in utroq; genere ser-
monis utriusq; lingue: deq; Examinibus priva-
tis & publicis. Exercitationum certè & lecti-
onum series, formaq; totius scholasticae guber-
natio-

nationis peculiari libro edito extat, operâ Do-
minorum, NICOLAI EKII & DAVIDIS
HILCHEN Scholarcharum, tûm etiam studio
clarissimi doctissimiq; viri Domini M. Johan-
nis Rivij Attendorpfiensis: Viri, ob præcla-
ram in universâ Philosophiâ, divinarum hu-
manarumq; rerum scientiam, ingenij summi
dexteritatem, suavissimum & copiosum dicen-
di flumen, aeternâ memoria dignissimi: Cujus
laudes nulla est obscuratura oblivio; ita se se,
suiq; nominis gloriam, præclaris monumentis,
ex situ & pulvere vindicatam afferuit. Vos
publicis examinibus interesse non recusatis: do-
centium industriam ac diligentiam; discenti-
um ingenia & projectus, voce propriâ, explo-
rare, per singulos ordines reptare, atq; adeò cum
pueris repuerascere, & molestissimo labore, in
tanto concursu negotiorum, integros dies tri-
buere, non molestum volis; modo scholam ad
votum vestrum exurgere, & florescere videa-
tis. Ita erga rem literariam estis affecti, ut do-
ctissimorū hominum copiâ hanc vestram Rem-
publ: abundare optetis: Quod quia summum
Reipubl: ornamentum esse ducitis, maximo im-
pendio

pendio ab exteris etiam regionibus, doctissimos
quosq; viros accersendos esse censem. Neq; pu-
tet me quisquam hoc auribus vestis dare. Res
ipsa loquitur, experientia attestatur. Neq; mc-
um est harentem capiti vestro meritâ cum lau-
de coronam detrahere.

Etsi autem varia tempestatum procellæ, in
extremo hoc ruinosi Mundi ævo, hunc pium
vestrum pro veritate Zelum impedire conan-
tur: servat tamen Deus, E servabit usq; E us-
q; semen sanctum inter nos, E confirmabit san-
ctissimum vestrum propositum, spiritus sui ro-
bore E virtute; ut divinum hoc doctrinæ cœ-
lestis depositum, E nālūp παγανατ αθίκηp fide
Achilleā, intra pomærij, E animorum vestro-
rum castum complexum, in violatum E illiba-
tum conservetis, E ad seros nepotes propagetis.

2.
Repub-
licæ.

Sed quid dicam de civili Reipub: admini-
stratione? Eam vos sartam ac tectam con-
servastis; nimirum hac prudentia laude excel-
lentes, qvâ solâ res hominum post Deum opt:
Max: gubernantur, ac in felici statu conser-
vantur.

Multos enim habetis in collegio vestro, quo-
rum

rum ingenium, tam liberali doctrinâ excultum
ac perpolitum est, ut cum summis exterarum
nationum ingenijs certare queant. Quis enim
nescit magnificos & præstantissimos viros Do-
minum Nicolaum Ekium, Casp: vom Hoffe,
Ulenbroccium, Cannium, Dreilingiū, ne singu-
los commemorem, qui magno ornamēto & præ-
sidio huic Reipub: appositi, semper pro eā excu-
bant, & quocunq; efferunt pedem, graves &
prudentes ac vigilantes urbis hujus custodes se
esse testantur. Unus verò David Hilchenius
virtute suā Syndicus hujus urbis, Regiæq; Ma-
jestatis Secretarius creatus, magnum exhibet
documentum, quantum valeat eruditio, cum
non tantum vos; sed ipsa quoq; Regia Maje-
stas in expediendis gravibus Reipub: negotijs,
ac honorificis obeundis legationibus, eo tan-
quam altero Mercurio uti soleatis.

Quam vestram paternam curam & soli-
citudinem gratis animis agnoscunt fideles sub-
diti & cives, dupliq; vos honore dignos esse
existimant. Nam si ingenti beneficio afficeris
communem civiū societatem creduntur, qui cō-
filio suo, labore & industria, eā præclaris privi-

(::) legijs

legijs ornatam, legum optimarum præsidio mu-
nitam, mercaturâ celebri, & rerum omnium
proventu ditatam & auctam redditunt; quales
multos in historijs legimus viros præclaros, du-
cesq; eximios: Quantò magis hi publicum bo-
num promovisse, & de Rebus pub: præclare pro-
meritos esse censendi sunt, qui omnium præcla-
risimis verbi divini immunitatibus eam exor-
nant, uberrimis thesaurorum divinorum pro-
ventibus adaugent, & Summi boni, aeternaq;
beatitatis adipiscenda rationem ac viam, civi-
bus præmonstrant. Prosperitas ista, & terre-
norum bonorum affluentia exoptanda quidem,
cen ingens Dei donum; sed mentes hominum
nescia in rebus prosperis auream servare medi-
ocritatem, facile exorbitabunt, nec ullum fru-
ctum istius prosperitatis percipient; nisi verbi
divini interventu, à nimio & anxio paranda-
rum rerum studio avocata, quasi freno quo-
dam cohibeantur, & ad contemptum divitia-
rum, voluptatum, honorum, mortis itidem &
periculorum omnium; contrà verò, ad vero-
rum ac aeternorum futurae vita bonorum ac-
quisitionem, studium & desiderium accordan-
tur.

tur. Non censebat Scipio felicem Rempubli-
cam esse, stantibus quidem mœnibus, dilabenti-
bus vero moribus. Circa immodicum hujus se-
culi bonorum studium, occupati homines, qui-
eti Tranquilli esse non possunt: sed subinde
sibi alijs negotium facessunt; dum vel acqui-
rere modis omnibus, per fas & nefas, vel acqui-
sita tenere conantur. Quinimò inebriata men-
tes humanae dulcedine terrestrium bonorum
cœlestia bona aspernantur: & dum ista sectan-
tur, dum illorum possessione felices esse se arbi-
trantur; studium omne supernorum bonorum
flaccescit, & triste faciunt salutis naufragium.
Revocanda sunt igitur mentes hominum cre-
bro, ab amore nimio rerum terrestrium; & de-
siderio rerum cœlestium imbuedæ sunt, ut tran-
quillus sit Reipub: status, & in pace cives fru-
antur suis commodis, absq; omni animæ sua
periculo.

Neq; enim vestris M. D. solum convenit
huic pio studio incumbere: sed tenentur omnes,
qui in hac honestâ hominum societate vivunt,
ut huic opera manus adhibeant, huc omnia con-
silia, actiones & ingenij vires dirigant, quo il-

3.
Mea.

(:) 2 lum,

lum, in quo versantur, cœtum, ornent ac pro-
moveant. Eandem necessitatem & mibi in-
cumbere, pro officij mei ratione judicavi, mea-
rumq; partium esse arbitratus sum, ut hoc publi-
cum bonum, quacunq; ratione possem, & voce
& calamo juvarem. Nam si, qui rationem in-
veniunt, qua civitates probè & ab omni parte,
adversus hostium insultantium impetus muni-
antur; præclarè de Republicā meriti esse existi-
mantur: quis mibi vitio vertet, qui rationem
monstro, quo pacto omnes hujus civitatis inco-
le, adversus pravarum & ferocientium cupi-
ditatum impetus probè muniantur, & anima
eorum in tutissimum tranquillitatis portū col-
locentur: ubi ab omnium perturbationum pro-
cellis libera; tranquillā pace & latitiā perfru-
antur. Hic mibi fuit scopus propositus, cum an-
te annos undecim, accitus literis jussu D. presi-
dis Ottonis à Neppen scriptis huc venisse, sta-
tu quidem hujus Reipub: turbulentō; sed à vo-
bis exceptus humaniter, & in ordinem ministro-
rum verbi receptus. Vos me hactenus libera-
liter fovistis & beneficijs insuper ornastis. Vo-
bis igitur omni jure cedit, si quid à me profici sci-
potest,

potest, quod publicæ prospicit saluti: 'Vobis acceptum referre debent, si quid utilitatis cives vestri, ex lectione hujus tractatus, qui vestris impenfis, voluntate & consilio in lucem prodit, percepturi sunt. Ac licet sit idem studiū, idemq; fervor reliquorum, qui docendi munus in hac Ecclesiā sustinent, quiq; multo melius, multoq; nervosius non voce modō; sed & calamo, si velent, hac eadem tractare possent: Tamen hos meos quo scunq; obolos, ad gazophylacium Domini gratā mente defero, & omnino spem bonam foveo, hoc studio meo, non usq; adeò extenuatum iri publicum bonum, laboremq; meum non fore inanem in Domino.

Quod superest, memores hujus summi beneficij, quod hactenus Deus Evangelij lucem, in hac urbe accensam, clementer conservavit, & hanc cymbam suam, adversus turbulentos undos maris fluctus tutatus est, toto pectore eidem gratias agamus. De Antipatro Tarcensi Plutarchus in Mario scribit, quod sub vita sua exitum Diis immortalibus, pro omnibus, quae unquam sibi toto avi sui tempore, prosperè obtigissent gratias egerit, neq; oblivioni dederit, se-

Anti-
pater.

cundam Athenas navigationem. Quanto magis decet nos Deo omnipotenti gratias agere, quod his postremis, ruinosi mundi, decrepiti nostri & vi temporibus, inter multos gravissimos perturbationum undosi maris scopulos, Syrtes & Charybdes, hanc nostrā Remp: quam inundare, & sapis in profundum præcipitare posse videbantur; salvam, illasam & incolmem, sub Christo Duce & nauclero, conservavit. Eundemq; supplicibus votis oremus, ut deinceps adversus quoscunq; irruentium periculorum & procellarum insultus, & minaces improborum hominum voces atq; fremitus, inviolatam eam conservet & tueatur: donec tandem ipso eam clementer gubernante & regente, superatis tempestuosi maris hujus mundi procellis, & fluctibus omnibus; ad optatissimum vitæ & tranquillitatis æternæ portum appulsi; & viderim cum Deo & saiuia & beatitudine, ineffabiliq; gaudio, & latitudine perfruamur. Interim hoc quicquid est operis, sereno vultu amplectimini, meq; clientem vestrum benevolentiam perpetuam prosequi non definite. Valete, & rem

rem bene gerite præclara hujus urbis sidera.

Riga Livonum Anno Virginei partus 1598.

Mense Julio, die qui usitate D. Benedicto
(faxit Deus felici omniè) consecratus est.

Magni: & Generos:

Domi: V.

Addictiss: & obser-
vantiss:

Georgius Cieglerus.



David

DAVID HILCHEN S. R. Mtis.
Secretarius M. Georgio Cieglero.

S.

Ffecisti mea quidem sententia , ut
Amplissimum Senatum Rigensem
minimè jam pœnitere possit suæ in te benefi-
centiæ.

Hic enim scopus liberalitati eorum fuit pro-
positus, ut te in numerum reliquorum mini-
strorum Ecclesiæ adsciscerent, certam spem de-
te concipientes, quod nec illis, nec sibi defutu-
rus essem, ad eumque scopum pervenires, quo
gloriam Dei illustrares.

Ecce enim hoc scripto tuo præclarum spe-
cimen ingenij & eruditionis exhibuisti.

Vtinam & cæteri industriam tuam imitati,
eundem calleter endum sibi putent.

Danda autem in primis vobis opera est , ut
ne id faciatis , quod multi scioli factitant , qui
ad vanam ingenij ostentationem lites & certa-
mina serunt , & ad oppugnandam veritatem,
ita omnes machinas adhibent , ut deinde , aut
in pestiferas opiniones prolabantur , aut ex-
cuso

cusso Dei metu in Epicureismum qvendam infelices proruant.

Ad quæ omnia evitanda mala, illud remedium erit appositissimum, si in solâ pietate se-
ctandâ, castisque & integris retinendis mori-
bus, alacres vos præbueritis, ac intestinas dis-
sensionū ansas magno conatu propulsaveritis.

Laudo autem hoc studium tuum, quod tu
Magistratum & Senatum urbis hujus nostræ,
laudibus his decorandum duxisti, quibus ne-
mo, nisi homo perditus & invidius jure obtre-
ctare potest.

Hanc enim in tuenda communi dignitate
ac libertate civitatis hujus, hactenus operam
præstiterunt, ut nisi singulari prudentiâ ac dex-
teritate pessimis malorum consilijs obste-
rent, omnia ruere ac deflagrare necesse fuerit.

Sed quia invidia tanquam ignis summa pe-
tit semper, soliq; eximiæ virtuti comes adesse
solet, minimè mirandum est, si leves qvidam
ac malevoli homines, istam eorum virtutem
arrodant, & in obterendâ debitâ eorum laude,
non solum lingvas, sed & calamos, quâ sunt
impudentiâ exacuant.

A

Ad

Ad me quod attinet, cui aliquam etiam impertis laudem, qvod in procurandā salute, ac dignitate patriæ, operam ac studium meum qvalecunque accommodem, non tantum mihi arrogo, ut debitas hasce tuas laudes agnoscam, aut in numero eorum recenseri cupiam, qvorum in sanandis omnibus Reipublica vulneribus summa hactenus fides & prudenter perspecta est.

Hoc unum tantum polliceri possum, quod si reliqua omnia deficiant, vitam tamen potius, qvam fidem, quæ patriæ à me debetur, amittam.

Et tamen nescio, quo meo fato sit, ut exiguæ aut nullæ ferè dotes animi mei tantam qvorundam invidiam mihi excitent, ut mihi susurris & obtrectationibus molesti sint.

Sed tanta hominum quorundam malevolentia Serenissimi Regis nostri publicum, quo me ornat, testimonium, infringere non potest, me à putidis illorum calumnijs vindicans, summæque & constantis in patriam fidei laudem mihi tribuens.

Quo clarissimo tanti Principis de me iudicio,

cio , & proprio bonaे conscientiaे testimonio
fretus , facilè omnes mordacum hominum
latratus contemno , nec perseqvendas ab om-
nibus injurias vindico , multaque ignoscendo ,
tolerando ac dissimulando tempori potius ,
quam vindictaे servanda committo , bene
persuasus , quod quascunque perditi bonis in-
sidias necunt , se ipsi eisdem involvant .

Qvod autem ad argumentum libri tui spe-
ctat , quem de Incertitudine vitaे humanae in-
scripsisti ; ea qvidem tot fluctibus semper agi-
tatur , ut pro diversis hominum ingenij , in di-
versa subinde studia rapiatur , neque quen-
quam facilè invenias , quem suę fortis mini-
mè pœniteat .

Nam alij qvidem libero lecto , nihil jucun-
dius esse reputantes , ac lites & alterna jurgia
extimescentes , à connubio penitus abhorrent ;
& ijdem tamen dedecus aliquod aut flagitium
in se admittentes , inquietam circumferunt
conscientiam , orbitatemque suam deplorant .

Qui autem ad conjugium animum appli-
cant , si pudicam ac morigeram nacti sunt
uxorem , semper ad mortis insidias exhorre-
scunt ,

scunt, cum mortalem esse non ignorent: aut si longæva & fœcunda sit, liberorum in spem bonam educandorum, anxiâ semper curâ afflstantur.

Si vero indomitum aliquod cui contingat animal, quod neque plagis, neque illo obsecqviis ad bonam frugem revocari queat, vitam isti morte acerbiorem agunt, ac non procul à faucibus orci, domicilium sibi fixum arbitrantur. Vnde Metellus ille, in Senatu Romano aliquando verba faciens; Quandoqvidem inquit, ea est conditio nostra, ut neque commodè cùm uxoribus, nec sine illis vivere possumus; æternæ potius saluti, quam brevi voluptati consulendum est.

Nimirum sine matrimonio humanum genus conservari neqvit, & quascunque hoc vi- tæ genus assert molestias, omnino devorandæ videntur.

Si verò ad varias parandi viëtus rationes respicias, alij qvidem nihil agriculturâ melius nihilque præstantius esse judicant.

Sed Marco Tullio teste, miseram subinde conditionem esse suam experiuntur, ut quo- rum

rum felicitas à ventis ac tempestatibus depen-
deat.

Itaque alij ad locupletandas suas fortunas
mare expetunt , ac ut pauperiem effugiant
mercatores, extremos currunt ad Indos; sed
præter assiduos terrores, qvos furentis Pelagi
fluctus illis obijciunt, non raro & vitæ & bo-
norum omnium jacturam naufragi patiun-
tur.

Quo vitæ & fortunarum discrimine ut ca-
reant, Medici, & à Galeno expertant opes, do-
mi qvidem hi desides vitam agunt : sed si non
succedat curatio, impostores ac homicidæ
nuncupantur.

Iucundissima ergo eorum, qvi splendorem
aulæ seqvuntur, reputatur vita; sed splendidâ
miseriâ circumdati, & aureis compedibus
vinciti potius isti videntur, qvam ut solidâ frui
felicitate judicentur.

Pastores qvidem Ecclesiæ in sancto & lau-
dabili munere versantur; sed quos labores exu-
dant, & vigilias in cognitione sacrarum lite-
rarum tolerant, non semper eum quem ha-
bent propositum finem , asseqvuntur. Nam

A 3 quam

qvam adhibent curam in docendo populo &
ad omnem pietatem formando ; multoties se
vanam in aëra spargere vocem, ventrique, qui
caret auribus, concionari experiuntur.

Verùm qvid attinet singula vitæ humanæ
recensere genera, qvando nullum est variarum
ærumnarum expers, & quæcunque homines
agunt, mille casibus & periculis subjecta esse
agnoscunt : aut si florentem naëti sunt fortu-
nam; tamen quid serus vesper vehat, ignorent?

Itaque Græcorum quidam vitam homi-
num, non vitam, sed calamitatem verè dixit,
& pervulgatum illud celebre est proverbium :
Optimum esse aut non nasci, aut si natus sis,
citò mori.

Ac profectò longa vita , qvid aliud habet,
quàm variantes & alternantes fortunæ vices ,
mutabilesque rerum vicissitudines , ut inter
spem & metum subinde fluctuet, & postqvàm
ademta est spes, suaque opinione frustrata, las-
sum animum hominis curâque confectum ac
stupentem, ut verbis comici utar, relinqvat.

In tanto ergò calamitatum concursu hoc
unum restat, ut homo qvam maximè pietati
& san-

& sanctimoniz studeat, omnesque vitæ præsentis molestias certâ spe futuræ vitæ constanter perferat.

Hæc qvidem breviter ad te exaranda mihi visa sunt, ut quocunque argumentum nunc tractandum suscepisti, studium & conatum tuum non improbandum mihi ducerem, & stimulum quendam tibi adderem, ut tu ad maiores doctrinæ proventus indies aspires, & quem fructum ex te etiam deinceps sperare debeamus, similibus ingenij tui monumentis saepius patefacias,

Vale.



David

DAVID HILCHEN.

EIG AΓΑθοΒΙΩΤΗ

D. Ciegleri.

Si dubitas, quānam sit vita beata, libellum
Hunc velut ex multis perlege; certus eris.
Certior ast factus vitam simul elige certam.
Hac levis & brevis est; altera certa manet
Author honorandus: vacuam quia criminē
vitam
Ducere demonstrat, quāq; seqvenda viā.

De Incer-

DE INCERTITUDINE RERVM HUMANARVM.

CAPVT PRIMVM.

Continens loco τὸν προλεγομένων Bonorum genera & descriptiones.

 **M**nis omnium cura mortaliūm , et si varijs rapitur fluctibus , & diverso tramite incedit: ad unum tamen Beatitudinis & οὐδαεισίας finem intendit. Ad hunc enim initio à rerum omnium opifice conditi homines sumus. Quamvis autem in tantâ mentium humanarum perpetuis & Cymmerijs tenebris oberrantium caligine, vulgus hominum , ad certum & definitum scopum actiones suas neutiquam referre novit : tacito tamen sensu , & occulto veluti naturæ instinctu, fugiunt omnes , sibi quæ adversantur, seqvuntur convenientia, & sui salutem conservationemque appetunt. Præstantiores verò naturæ & præmoniti finem actionum suarum & studiorum omni-

B um

Caput Primum

Beatus
do quid:

Beati
qui

Bono-
rum di-
stribu-
tio.

um sedulò respiciunt eumque ad certum sco-
pum, vel jucundum in vita, vel utilem, vel ho-
nestum dirigunt, & ad ipsam usque Beatitudi-
nem concendere nituntur. Porro veteres Phi-
losophi Beatitudinem definierunt, Statum es-
se bonorum omnium congregatiōne perfectum.
Et, secretis malis omnibus, cumulatam bono-
rum possessionem. Beatos vero dixerē eos, qui
in bonis essent, nullo admixto malo, quos nul-
lae aegritudines excedunt: nulla libidines cruci-
ant, nulla futilis latitia exultantes, langoridis
laquefaciunt voluptatibus. Qui Beatus est,
inquit Cicero: non intellego quid requirat, ut sit
beator. Si est enim quiddam, quod desit, ne
beatus quidem est.
Intentis itaque oculis in universum hoc vi-
tae humanae Theatrum, omnia illa quæcun-
que bona dici possunt, in unum collecta cu-
mulum, tribus quasi classibus distinxerunt,
nominaruntque bona alia Corporis, alia For-
tunæ, alia Animi.
Hujus distributionis rationem reddiderunt,
quod bonum omne, aut est suæ naturæ dele-
ctabile, aut utile, aut honestum. Delectatio-
nem

De universis Mundi bonis.

nem Bona corporis habent: Fortunæ utilitatem ingentem pollicentur: Honestatis prætextu Animi bona reliquis omnibus gloriæ & laudis palmam præripere cupiunt, Sunt autem corporis bona, ad corpus quæ pertinere videntur, uti sunt voluptatum illecebræ, delitiarum jocunditas, corporis robur, sanitas, pulchritudo, vitæ diuturnus usus, & alia hujus generis. Bonorum Fortunæ ambitus continentur omnia Fortunæ munera, quælia sunt: Opes & divitiae, Gloria & Honores, Regnum & imperium, potestas & eminentia, nobilitatis decus, ædificiorum splendor, vestitus ornamenta, pretiosa supellex, formosa conjunx, numerosa proles, multitudo amicorum, & ejusmodi. Annimi Bonis annumerantur: Artes & scientiæ, Prudentia & Sapientia, studium virtutis &c:

Hæc Bona omnia, alia alijs præstantiora, atque adeò aliquod summum Bonum esse mens humana statuit, quodque summum exerciter in animis mortalium Gaudium, summamq; lætitiam. Summum autem Bonum dicunt id esse, quod cuncta alia in se continet Bona, quo quis adepto, nihil aliud desidera-

Sum-
mum
bonum
quid

Caput Primum

re queat, in quo solo latetur & arquiescat.

Ad inquisitionem verò summi Boni, perfectique Gaudij, sapientissimi homines plurimum semper studij & laboris impenderunt: sed diversā planè ratione pro diversitate ingeniorum, alij alia bona sunt amplexi. Nam qvi rebus sensum quoquo modo titillantibus afficiuntur, Voluptatem summum Bonum esse statuerunt, eamq; in omnibus rebus quæsiverunt. Alij, qvi ad utilitatem studia sua retulerunt, Fortunæ Bonis summam inesse felicitatem lætitiamque, arbitrati sunt. At melioris notæ homines, in animi Bonis beatam vitam positam esse existimantes, totum vitæ suæ tempus studijs literarum & virtutis consecrarunt.

Et hodie quoque his ipsis eligendis, sectandis, comparandis bonorum generibus, omnes omnium hominum consumuntur curæ. Videas enim ingentem hominum multitudinē, qvi sensum dulcedine, & gaudio capiuntur, jocunda tantum & svavia, quæque sensibus allubescunt sectari, & in omnis generis voluptates magno conamine totoque impetu rueret.

Qui.

De universis Mundi bonis.

Qvibus abundè consecutis, felices se esse, lètos
atque beatos arbitrantur. Videas & alios, qvi
dum in utili consistere beatam vitam censem, Cicero.
posthabit is corporis voluptatibus, Fortunæ
bona affectare, séque felices atque beatos exi-
stimare, maximoq; gaudio affici, si opibus af-
fluant, divitijs satis firmi sint, si gloriâ & ho-
nore conspicui, si imperio & Regno potentes,
si prosapiâ & nobilitate illustres, si dignitate &
eminentiâ clari existant.. Sed optimi qvique
nobilissimisque ingenijs prædicti, postquam
in honestate summum bonum situm esse per-
svasum habent: spretis contemptisque corpo-
ris & fortunæ muneribus, bona animi am-
plectuntur, & multiplici rerum scientiâ exul-
tant, laudabilique virtutis studio mirificè sibi
placent. Atque hæc bona ad ipsum cœlum
elevantes, beatos se, atque adeò beatissimos
prædicant. *Idq; præclarum olim Philosophia*
decretum esse voluerunt.

Cic.
Tuscul:

Veruntamen ut falsis hominum persva-
sionibus stultisq; eorum cupiditatibus frena
injiciantur, summum bonum his muniemus
proprietatibus.

Caput Primum

Cicero.

1. *Vt verum sit, minimèq; fuco aliquo , aut falsâ veritatis specie obductum.*
2. *Perfectum ut sit , omnibusque numeris absolutum , nec alieni egens ; sibi vero ipsi per omnia sufficiens. Nulla enim solida felicitas latitia est, quam contumelia ullâ vita contaminat.*
3. *Stabile sit atq; Perenne, nec ullis mutationum vicibus obnoxium.*

Summum enim bonum nisi verum, & ab omni fuco alienū: nisi perfectum, nisi constans & perenne fuerit. Summi nomen boni nequam obtinere poterit. Nihil enim in vetera scere, nihil in eo extingvi, nihil cadere debet eorum, in quibus beata vita consistit. Nam qui timebit, ne quid ex his deperdat, beatus esse non poterit, inquit Cic:

Verum enim vero Summum bonum, si à vero aberraverit, si imperfectione quadam mutilatum sit, si mutationum injurijs obnoxium: deniq;, nisi his circundatum fuerit munitionibus, his instructum armis: nobilissimum illum quem nunc indagamus effectum. GAVDIVM nimirum & Beatitatem Veram, per-

fe-

De universis Mundi bonis.

fectam & stabile: tanto consensu, tum sacris,
tum prophanis celebratam literis, gignere &
in lucem producere minimè poterit.

Ad hoc namq; Gaudium Cicero quoque
oculos & animum intendit, cum inquit: Per-
spicuum esse ex perpetuis plerisque G A U D I I S
Vitam beatam existere. Et rursus: postquam
virum bonum sapientia & virtute præstan-
tem, inque Philosophiae studio, & perpetuam sui
ipsius, divinæque mentis contemplatione tota
vitæ versatum produxisset, testatur: ejusmodi
hominem conjunctum cum divina mente esse
se sentire, ex quo insatiabili G A U D I O com-
pleatur. Itaque sic concludit. Quid hæc vita
tandem desiderat, quo sit beatior? Cui rei re-
fert, tot tantisque Gaudijs fortuna ipsa cedat
necessæ est. Audi hominem nulla Evangelicâ
luce collustratum. Sed quid? itane & nos Phi-
losophabimur duntaxat, & ex placitis huma-
næ sapientiæ producemus ea, quæ ad institutū
nostrum & ad describendum verum, perfectū
& pene piorum Gaudium & beatitatem fa-
cere videntur? Has profectò summi boni con-
ditiones, hunc perpetuum ejus effectum &
indicationem in di-

Caput primum

individuum comitem, multò uberius, multo-
que luculentius sacræ literæ describunt, uti in-
frà suo loco videbimus. Placuit tamen & sa-
pientum Ethnicorum paucis prælibare cogi-
tationes & placita, quæ apud eos sacro sancta
fuerunt, *ut cum divinis literis eadem audien-
do profit nobis consensus.*

In summo igitur bono, cum Beata vita &
Gaudium verum, perfectum, & stabile, tanto
omnium, cum Philosophorum, cum sacrarum
literarum consensu, consistat: age, quæramus
& investigemus illud Summum bonum, & ex
effectu causam indagemus.

Ingrediemur itaque splendidissimum hoc
mundi Theatrum: Perscrutabimur præcipua
hujus mundi bona: Corporis, fortunæ, Ani-
mi: Volitabimus per Prophetica & Apostoli-
ca cœlestis Paradisi vernantia prata, lustrabi-
mus omnium temporum historias, & ad ho-
rum omnium trutinam præcipua hujus mun-
di bona examinantes, videbimus, an hæc bo-
na vel singula vel universa aliquam certitudi-
nem, veram Beatitudinem, verum, perfectum &
stabile Gaudium efficiant, Summumq; bonū
suo ambitu comprehendant. C A-

De voluptatibus Corporis.

CAPVT SECUNDVM.

AN CORPORIS VOLVPTATES

vitam beatam, verum, perfectum & stable Gaudium conferant?

Eccli hujs filij exercent lætitiam, sectantur Corporis voluptates, quærunt delicias, indulgent genio, gaudent Thessalicis, Erichthonicis, Sybariticisque epulis & convivijs, ducunt choreas, luxuriantur, amant, nepotantur, cantant, & beluinā vesaniā, toto impetu, plenisq;, quod dicitur, velis, & inflammato quasi animo in voluptates ruunt, omnisque generis cupiditatibus & libidinibus frēna laxant. Denique vitam ducunt Cyclopīcam, & omnino eiusmodi, qualem Salomon describit. Sic enim sese mutuō perfruendis voluptatum illecebris filij hujs seculi extimulant: *Venite, inquiunt, fruamur bonis præsentibus, utamur creaturis tanquam in juventute celeriter, vino pretioso impleti & unguentis oblii omnem captemus fruendis voluptatibus occasionem, antequam prætereat flos temporis*

Coro-

Sapient:z.

Caput Primum

Coronemur Rosis, priusquam marcescant. Nullum pratum sit, quod non pertranscat luxuria nostra: Nemo vestrum exors sit luxuria nostra. Vbique relinquamus vestigia latitia, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.

Eandem planè pingit Iuventutem

Horat:

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati
Sponsi Penelopes, nebulones Alcinoiq;
In cute curanda, plus aquo operata juventus:
Cui pulchrum fuit, in medios dormire dies, &
Ad strepitum Citharae cessatum ducere curam.

Hujus vitæ Imaginem retulit nobis tunc
aula Alexandri M. tanti Monarchæ, tantis a-
lioquin virtutibus, tantâ Fortitudine, & re-
rum successu toti mundo spectabilis: Cum
voluptatibus frena remittens, per Carmani-
am nondum penitus devictam, tantâ tamen
confidentiâ, septem diebus iter faceret, temu-
lentus cum tumulento exercitu, ut Vicos per
qvos iret floribus coronisque sterni juberet:
Liminibus adiun, crateras vino repletas, &
alia

Ale-
xand:
M.

De Voluptatibus Corporis.

alia eximia magnitudinis vasa disponi: ut
hicula deinde constrata, ut plures capere mi-
lites possent, in tabernaculorum modum orna-
ri, alia candidis velis, alia ueste pretiosâ, sive
ut Plutarchus, partim purpureis & pictura-
tis tapetibus, partim arborum semper recenti-
um & virentium inumbrata ramis, quibus
Reges etiam vebebantur amici, & Duces co-
ronati, potantesque. Regem ipsum cum ami-
cis super pulpetum, in edito & conspicuo ta-
bulato erectum quadrato, convivijs noctem
diebus continuantem, octo equis composito
gradu vectum. Currus Regius crateris aureis;
ejusdemque materia ingentibus poculis præ-
gravis. Videres inquit Plutarchus, non ce-
tram, non galeam, non sarissam: sed milites
Phialis, pateris, calicibus, thericlijs, toto itine-
re, ex grandibus dolijs & crateris haurientes:
Prabibebant inter se, alij simul inter pergen-
dum, alij recumbentes. Circumsonabant omnia
locafistulis, tibijs, carminibus, cantilenis, bac-
chabundis mulieribus. Tam incomposito &
incondito itinere, comitabantur pocula, bac-
chabunda licentia ludus, quasi ipso presente

Curtius
lib:9. mihi
fol: 109.

Caput Secundum.

Baccho & commensationis Duce. Postquam in Regiam Gedrosie venit, relaxavit de integro exercitum intempestivis convivijs. Ferunt temulentum Chororum ludos spectasse, amarium ejus Bogoam Choragum palmam obtinuisse, exornatumq; medio Theatro transisse, ad latus ejus consedisse. Macedonas, cum id viderent, plaudentes, ut osculum inferret conclamasse, quoad illum complexus & dissuaviatus sit. Post Calani Indi vero in rogo interitum, Alexandrum frequentibus amicis & praefectis ad coenam invitatis, certamen & præmium scribunt proposuisse potandi meri. Qui plurimum hausit Promachus, ad quatuor congios progressum esse, relatoque pro victoriae pretio Thalento, triduum tantum superstitem fuisse. Ex cæteris unum & quadraginta ex violentia exanimatos. Nuptias amicorum cum Sufis celebrasset, & ipse Darij filiam in uxorem duxisset Staryram, nuptialiique epulo splendide celebrato, singulis convivarum, quorum fuerit novem millium numerus, auream Phialam ad libandum donasse: Sed ante hæc,

Clitum

De voluptibus Corporis.

Clitum fidissimum consiliarium & fortissimum Ducem , à qvo in prælio ad Cranicum servatus fuerat , inter pocula suis manibus cōfodisse : Postqvām Persidem subjugasset , & Persepolim in suam potestatem redigisset , de die convivia inijsse , qvibus etiam fœminas inter esse voluit , non qvidem quas violare netas esset : qvippè pellices licentiūs qvām decebat , cum armato vivere assuetæ . Ex his una Thais , & ipsa temulenta , Regi persuadet & cæteris , ut è convivio surgerent , omnes mero qui incaluerant , ad incendendam temulenti urbem , cui armati pepercérant . Regia quæ fuit totius Orientis , unde tot Gentes antè jura petebant , patria tot Regum , unus qvondam Græciæ terror , molita decem millium navium classem , & exercitus qvibus Europa inundata est . Tandem eò usque processit temulentia , ut tantum Regem in flore ætatis , medioque florentis Fortunæ cursu , è rebus humanis eximeret .

Dolendum est , inquit Curtius , illam indolem , & ingentria animi bona , qvit us omnes in orbe Reges antecessit , illam in subcundis peri-

Verba
Curtij.

Caput Secundum

culis constantiam, in rebus moliendis efficien-
disq; Velocitatem, in deditis fidem, in captivis
clementiam, in voluptatibus permisiss quoq;
Uxitatis temperantiam, haud tolerabili vi-
ni cupiditate fœdasse.

Hujus quoque Asotiz imago in aula He-
liogabali & Caligulæ, & longè ante hos omnes
in regiâ Sardanapali Assyriorum Monarchæ,
conspecta fuit.

Atque utinam, hic immodicus bibendi
ardor, & flamma cuncta exedens, unâ cum
his extincta fuisset; nec immensa scintillarum
copia, circum quaque dispersa, omnium Re-
gum & Principum aulas, urbes item, pagos &
compita, tantum non obruisset. Nec tamen
haec scintillæ, tantâ vini cerevisiæque abundan-
ti copiâ, extingyi in hodiernum usque diem
potuerunt. Imò quantò magis ingurgitando
sedatur, tantò magis ardor ille bibendi insatia-
bilis indies crescit, donec aliquando igne in-
extinguibili superetur.

Germania.
nia.

Germania, & vicina pleraque regna, ita vi-
dentur huic vitio dedita, ut non vitium, sed
virtus hodie sic ingluvies ista beluina, & assi-
dius

De Voluptatibus Corporis.

duus compotandi usus. Strenui & fortes vi-
ri existimantur, qui reliquos exiccandis po-
culis, & plurimum bibendo vincere possunt.
His honores decernuntur: hi gubernandis
Regum aulis præficiuntur: hi obeundis Le-
gationum muneribus, rebusque alijs gerendis
maxime idonei esse ducuntur: hi denique
ampla reportant suâ ingluvie à Regibus
Principibusque viris præmia. Non sècus ut
olim Tiberius Cæsar, qui ob id Biberius di-
ctus fuit, postquam cum Pomponio Flacco,
& L. Pisone noctem, continuumq; biduum,
epulando potandoque consumisset, alteri
Syriam Provinciam, alteri urbis Præfectu-
ram detulit, hominique ignotissimo quæstu-
ram adjudicavit, ob epotam propinante se,
vini amphoram, teste Svetonio: Talia
etiam hodiè sunt nostra secula, hi mores. Ne-
que ipsam Græciam & Italiam, laudatissi-
marum artium cultura, & ingeniorum acu-
men, reddidit ab hoc vitio immunes: Qvùm
etiam priscis temporibus, teste Plinio, in tan-
ta laude temulentia apud eos fuctit, ut non
tantum ad vomitum homines usq; biberint, sed

Tiberius.

Italia.

ijdem

Caput Secundum

Quatu.
or senū
bibaci.
tas.

ijdem quoque Bestias suprà qvam credi posset,
cogerent ad potandum. Et Pauli Diaconi
historia, qvatuor senum in Italiâ ad stu-
porem usque compotantium facit mentionem.
Quorum natu minimus qvinqvaginta octo
cum esset annorum : secundus sexagesimum
tertium ageret : tertius octuagesimum septi-
mum exegisset : quartus nonaginta duos
complevisset: Ita se ad bibendum provoca-
runt, ut bini binis suos præbiberent annos,
& illi tot crateras respondendo exhaustirent,
quot isti annos vixissent. Itaq; natu minimus
cum natu maximo 153 crateras propinarunt
reliqvis duobus medijs, & hi totidem istis si-
bi invicem respondendo præbiberunt, exem-
plo ipsi Germaniæ inaudito.

Rursus, alij alias sectantur corporis volunta-
tes. Plurimi rebus quæ sensus qvoquo modo
dulcedine afficiunt, magnopere capiuntur, &
quæ vel aures svavitate demulcent, vel oculos
pulchritudine perstringunt, vel alijs sensibus
jocunditate aliquâ dulcescere putantur, aut
corpus gaudio perfundunt; in his sectandis
omne studium, omnem operam & industri-
am

De Voluptatibus Corporis.

industriam collocant, hūc plenis velis remisq; contendunt. Qvibus omnibus ad votū oblatis, non tamen acqvescit mens humana, ut nō plura semper desideret. *Quid Xerxi Persarum Regi, eorum omnium, quæ mens humana voluptatibus dedita, excogitare potest, defuit unquam?* De eo tamen scribit Val: M. Qvòd præmium publico edicto proposuerit ei, qvi novum aliquod voluptatis genus ex-cogitasset. Et Plutarchus scribit de Antonio, qvod coco cuidam, qvi unam cœnam scitè paraverat, omnia confessim civis Magnetis bona donaverit. Heu dementiam, in tantā rerum omnium affluentia, nihilominus indigentium, & ad corrumpenda naturæ bona duntaxat se genitos existimantium!

I.

*In tali Aſotid & luxuriā, non confiſtere
vitam beatam, nec verum in-
ſe Gaudium.*

Q Vamvis maxima mortalium pars, in voluptate hodiē summum Bonum & Beatam vitam constituat, existimetque se D beato

Caput Secundum

i.
Deus o-
dit E
punit
volu-
ptuo-
sos.

beato & jucundo frui vitæ statu, dummodò
voluptatibus abundet: Deus tamen mens ca-
sta & sobria, extremo odio prosequitur belu-
inam istam, & immanem hominum, corpo-
retantum viventium, ingluviem, reliquasque
Corporis voluptates omnes abominatur, ac
severè pœnas præsentes & æternas exposcit ab
omnibus, ventri qui sunt & voluptatibus de-
diti: Væ, inquit, Esa: 5. qui surgitis manè, ad
consectandam ebrietatem, E potandum usq;
ad vesperam, ut vino astuetis, Cithara & Ly-
ra & Tympanum, & Tibia, & vinum, in con-
vivijs vestris, & opus domini non respicatis,
nec opera manuum ejus consideratis. Propte-
rea dilatarit infernus animam suam, & ape-
ravit os suum abq; ullo termino. Væ qui po-
tentestis estis ad bibendum, & viri fortes ad mis-
cendam ebrietatem! Iccircò ut absunt stipu-
lam lingua ignis, & torridum gramen flamma
comburit: sic radix eorum quasi favilla erit,
& germen ut pulvis dissipabitur.

i. Iohan: 2.

Ne diligatis Mundum, neq; ea quæ sunt in
mundo. Si quis diligit Mundum, non est cha-
ritas

De voluptibus Corporis.

ritas patris in eo. Quoniam omne quod est in Mundo, veluti concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, fastus vita, non est a patre sed ex mundo est, mundus transfigit cum concupiscentia Iud.

Quicquid igitur a Deo originem non dicit; a Diabolo provenisse necesse est, & vitam beatam nunquam efficiet. Quicquid Deo displaceat, quicquid ille rerum omnium conditor summo odio, paenitque tam praesenti- bus, quam aeternis persequitur, veri gaudij ex- persit manifestum est.

Ac tametsi haec deliciae mundo arrideant & ingens gaudium promittant, veri tamen spe- cie leducunt, & dulcissimo fistularum cantu, Sirenum more insidiantur, incautosque cassi- bus suis irretitos circumveniunt, inque extre- mum corporis pariter atque animi interitum præcipitant. Ut & Cic. inquit: *Imitatrices* boni est voluptas, malorum mater omnium, cuius blanditijs corrumpuntur quæ naturâ bo- na sunt.

Quæcum ita sint, non abs re Spiritus San-ctus tantoperè dehortatur a voluptatibus

D 2 carnis

2.
Volu-
ptates
fuko im-
ponunt.

Caput Secundum.

1. Reg: 2.
Roma: 12.
Galat: 5.
Iob: 7.

Roma: 8.
1. Cor: 15.
Roma: 8.

Roma: 13.
2. Cor: 10.
Galat: 5.
Ephes: 2.

carnis, quæ militant contrà animam, concupiscunt adversus spiritum. Non ad suave otium, non percipiendis tantùm voluptatis bus vocati sumus; sed tota vita nostra perpetua militia est, eaquæ tantò tristior, qvantò severior & periculosior. Nihil potius expedit hostis qvàm Antagonistæ suæ interitum: ita voluptates machinantur, nihil aliud, nisi corporis & animæ nostræ exitium sempiternum. Qvâ de re cogitari quid tristius potest? Idq; vultu amico & adblandienti, specie jucundissimâ deliciarum & voluptatum, qvibus nihil dulcius in omni re humana. Itaque in hac militiâ multi voluptatum illecebris decepti, ejusque irretiti calibus, succubuerunt. Si secundum carnem vixeritis, moriemini, inquit Spiritus Sanctus. Nam caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Et qui in carne sunt, Deo placere non possunt.

Qvare omnibus modis annitendum est, ne carnis curam facientes secundùm carnem ambulemus, desideriaque carnis perficiamus, neque conversemur in concupiscentijs, facientes quæ carni allubescunt.

Præte-

De voluptatibus Corporis.

Præterea quantopere aversetur Deus, beluinam istam, & Cyclopicam hominum voluptatibus deditorum insaniam, pœnis Diluvij toti Mundo ostendit. Cum enim prima illa secula voluptatibus corrumperentur, nec ductui Spiritus Iehovah obtemperarent, fractisque continentia repagulis, ederent bibentque, contraherent & nuptum darent filij Dei, filijs hominum; tam severè in eos animadvertisit ultio divina, ut totum genus humanum aquis Diluvij submergeret, eoque modo inexplebilem eorum sitim expleret, restingueretque. Insuper & tristissimam illam vocem ederet: *Panitet me fecisse hominem,* Quantò minus præsentis seculi beluinam & intolerabilem ingluviem, relinquet inultam, quum non edendo bibendoque, contrahendo & nuptum dando; sed dirâ ingluvie, crapulâ quotidianâ, fraude dolosâ, & vagis libidinibus; omnem humanitatem homines exuerint, omnes verecundiæ fines transilierint, omnem patrum mensuram jam dudum supergressi sint.

3.
Voluptates
afferunt
pœnas
præsentes &
ternas.
Genesi. 6

D 3

Non-

Caput Secundum

Nonne judicium Dei apprehendit, madidos & furentes Sodomitas, qvos Iræ divinæ incendum, & ignis infernalis æstus, probè exiccavit. Nec dives Epulo ab eâ horâ, qvâ in Gehennam à Diabolis abductus est, & igne inextinguibili torri cœpit, usque in hodiernum diem, unicâ guttulâ trigidæ recreatus est, qvâ dolorem immensum, & æstus intolerabiles leniret, & lingvam dulcissimo vi-
no assuetam refrigeraret.

4.
Voluptates corrūpunt finem hominis.

Quinimò si consideraverimus, ortus nostri principium & finem, ad qvem rerum omnium opifex nos condidit; docebunt, non genitos esse nos perfruendis solummodo corporis voluptatibus, neque vivere ideo, ut ijs se-
ctandis omnem transigamus ætatem; sed ad laudem gloriarum gratiarum divinarum conditos esse nos, ortusq; nostri principium, partim patriam sibi vendicare, partim amicos, qvò nos pervenire voluptates non patiuntur. Cùm itaque non minima pars veræ beatæque vitæ, in fine nostræ conditionis constituta sit, lascivientibus cupiditatum illecebris captivari nos nequaquam patiemur, si veræ minimèque falla-

De Voluptatibus Corporis.

fallacis Gaudij participes fieri velimus.

An non videmus pecudes, aliaq; animantia, convenientem ubiq; naturæ suæ diætam observare, neque præter necessarium suæ conservationis nutrimentum, qvicquàm appetere amplius, nullâve vi cogi posse, ut pluribus saginentur, qvàm natura ipsis præscripsit. At illa ratione sunt destituta. Nos homines sumus: ratione prædicti sumus: in scholâ spiritus sancti, ad exemplum Servatoris nostri formati sumus. Quantò minus decebat, nos ipsos infra brutorum conditionem dirâ ingluvie abijcere, adeoque deteriores bestijs fieri?

Sed quis unqvam oratione æquabit jacturam bonorum omnium, tûm animæ & corporis, tûm famæ & Fortunarum, ex voluptatibus corporis, veluti ex impurissimo & venenoso malorum omnium fonte, permanantem.

Qvin igitur homines esse nos, non pecudes cogitemus? non deglutiendis creaturis, sed ad laudandum Creatorem natos. Quæ ratio est, qvod absq; omni ratione vivimus, & cum

5.
*Exem-
plum
bruto-
rum.*

6.
*Factura
ex vo-
luptate*

Caput Secundum

ratione insanimus? Bonorum & Valetudinis jacturam non æstimamus? Famæ, qvod nobilissimum hominis bonum est, periclitantis, curam non agimus? nostram existimationem susque de que habemus? conscientiæ vulnera negligimus? judicium Dei non extimescimus?

Voluptates igitur cum hæc mala omnia magno veluti agmine secum trahant; fontem qvidem & scaturiginem omnium in vita malorum, & cùm præsentium, tūm æternarum calamitatum, causam esse fateamur: Itaque nec vitam beatam, nec verum & genuinum Gaudium generare posse: Et proinde summum hominis bonum non esse. Rectè Augustinus: *Seculi latitia est impunita nequitia & sequitur æterna tristitia.*

I I.

Voluptates Corporis vitam beatam, perfectum & perenne Gaudium non efficere.

AD eundem modum, nullam perfectam & perennem voluptatibus Corporis adjunctam esse felicitatem & Gaudium ostendit.

De Voluptatibus Corporis.

I.

*Volu-
ptatibus
mixta
tristitia*

ostendemus. Omnis enim lætitia, quam corporis deliciae afferunt, mille tristitiae modis aspergitur. Facilis est lapsus in sermone & gestu, vino ubi incalescimus, & lætitiam quandò perfundimur. Fines verecundiæ in convivijs & symposijs, ubi curis soluti, frontem liberius exporrigimus, nullo negotio transiliuntur. Modus in cibo & potu, saltu & cantu difficulter servari potest. Facili itaque momento contingit, ut intercedente hujusmodi malo, omnis hilaritas contaminetur. Sæpè talia committunt verbis factisve temulentis, quæ excusari postridiè exhalatâ crapulâ difficer queunt, & quorum ipsos non modò pudeat; sed quæ etiam ingentem animo perturbationem concitent, & ignominiam pariant. Sæpè in pessimam partem rapiunt homines, quæ animo non malo à nobis dicuntur aguntur. quæq; in se, cùm mala non sint, reprehensionem nullam merentur: Quanto magis id fiet, si animum curis molestijsque relevare, & nubem superciliosum demere si in convivijs & compotationibus securè lascivire aliquando voluerimus? ut est seculum hoc ca-

E lum.

Caput Secundum

lumniarum ferax. Hi fructus, hæ merces sunt,
tanto labore tantisque sumptibus, & tam sol-
licitè quæsiti gaudij. An non voluptas sapientia
relinquit causas pœnitendi quam recordandi?
ut verè Cicero. Quod si forte unus obtige-
rit nobis dies tam expectatus, tamque exopta-
tus, quem totum læti exigimus, nullâ tristi-
tiæ nubeculâ contaminatum; centum nobis
interim abeunt tristes mœstique, ingentibus
qui animum curis afficiunt, unicum illum
qui nobis lætus affulxit, summâ mœstitudine ob-
nubilantes. Itaque Salo: *Risus dolore misce-
bitur Extrema gaudij luctus occupat. Ita Dis-
placitum est (inquit ille) voluptatem ut mæror
comes consequatur: Quin incommodi plus ma-
ligi illico assit, boni si obtigit quid.*

Pro: 14
Plautus

2.
Latitia
Julio
verti-
tur in
tristitia
Baltha-
sar.
Dan:cap.s

Sæpenumerò evenit, ut cum in summâ nos-
versari lætitiam putamus, repentina calamitas
interveniens, omnem lætitiam in miserabilem
luctum & lachrymas convertat. Balthasarum
Babyloniorum Monarcham novissimum,
quem Herodotus Labynitum vocat, splendi-
dissimum iniisse, Regio apparatu, in ipsâ urbis
obsidione, convivium, sacræ literæ & Iosephus
testan-

De voluptatibus Corporis.

Joseph9.
Lib: 10.
cap: ultis

testantur. In eo accubuisse concubinas Regias & purpuratorum præcipios. Nec sufficerisse vasa argentea atque aurea, quæ Regis mensæ solebant adhiberi ; qvinimò è templo afferri Regem jussisse vasa Dei, quæ Nabuchodonosar Ierosolymā spoliata, veritus erat in usum suum convertere. His allatis postquam mero incaluisset, antecessorumq; suo rum victorias ostentasset; ex vasis Deo sacratis, summā temeritate, cum concubinis & purpuratis babit; populo Iudaico, atque adeò ipsi Iehovah insultans. Sed ecce repentinum Dei judicium ! Manus scribens in pariete, Regis totiusque Monarchiæ interitum denunciat.

Attila.

Attila Hunnorūm Rex, flagellum qui se Dei omnipotentis nominare consueverat, ipsa nuptiarum festivitate, in amplexu novæ sponsæ, repentina morte sublatus; omnem Regalis Magnificentię splendorem & lætitiam, in pannos pullos & funebrem luctum convertit.

Henri.
cws Rex
Gal.

Henricus Rex Galliæ, constitutā pace, & inito sœdere, cum Philippo Rege Hispaniarum,

Caput Secundum.

rum, ei que datā in matrimonium filiā, & so-
rore Margaritā elocatā Philiberto Allebrogum
Duci, Regales celebrat Lutetiae nuptias. Ipse
ludis equestribus toto triduo vacat. Interim
autem misera in Gallijs adolescens Ecclesia,
edicto Regio prædæ exponitur cunctis eam
invadere volentibus: & Annā Burgæo, vi-
rio in Parlamento consulari, alijsque complu-
ribus, in custodiā datis, & Momgomerio com-
missis; Ecclesia in lummis verlatur angustijs,
ita ut de ea actum esse in Gallijs, tūm maximè
crederetur. Tertiò equestrium certaminum
die, Rex ipse in hippodromo, ad vicum An-
tonium non procul ab ea arce, ubi Annas &
reliqui Captivi detinebantur, excurrens, hunc
ipsum Momgomerium vel invitum, dehor-
tantibus etiam amicis, datā in manus lanceā,
ad certamen provocavit. Sed ubi congrega-
untur, fractā in Regis pectus lanceā, & cru-
stulo per galeam non rectè clausam, perque
oculum in cranium Regis, tanto impetu in-
grelo, ut bregma omnino violaretur; ocu-
lum primò, post mentem, tandem inter sum-
mos cruciatus, vitam nono dīc amisit. Rex,
xstate,

De voluptatibus Corporis.

ætate, viribus, opibus, fortunâ florentissimus, inter hostes tutus, in ipsa nuptiarum festivitate, morte suâ inopinâ, summam lætitiam in miserabilem luctum & mœstitiam convertit: & Regia, opere textorio, splendidissimis pretiosissimisque aulaeis undique opera, & ad tripudia saltationesq; magnificè exstructa; repente pullis funereisque obducitur panis, ac lugubribus nænijs nocte dieque personans; miserabilem spectantibus aspectum, & insigne vicissitudinis rerum humanarum præbuit exemplum.

Et quia in hanc cogitationem descendimus, unum atque alterum libet adhuc, nostri ævi subito mutati gaudij exemplum asscribere.

Commemorat Crantius de Ludovico Magdeburgensi Episcopo: Qui, cum ad dies Carnisprivij, ministerialium suorum pueras & matronas, in oppidum Calvam non procul à Magdeburgâ, ad ludos & choreas evocasset; dies aliquot in omnium rerum copiâ atque affluentia lætus exegit. Ipse choreas cum puellis ducens, nulli hilaritate, levitate,

*Ludovi
cus Epis:
Mag.*

*Lib: 10.
Cap: 13.*

Capit Secundum.

circulationibus & clamoribus celsit; dies totos compotationibus exegit. Tandem Lunæ die horâ septimâ, dum in medijs, (inquit Crantius) vanitatibus versantur, ignis in Camerâ; exiguis tamen, & vel à puerò restinguendus, apparens, tantum tremorem Episcopo cæterisque omnibus injecit, ut ad gradus subito festinarent universi, tantâque contentione, ut mole victus lapideus gradus consideret; ruente Episcopo cum trecentis alijs; illæsis omnibus, præter Episcopum & tres aulicos postero die mortuos. Quibus in locum suum concedentibus, lætitia in mœstiam versa est.

Carol. 6
Aemilius
lib. 10.

In aula Regis Gallie Caroli 6. nuptiales festivitates cuiusdam nobilis celebrabantur. Rex animi recreandi gratia (erat enim mente paulisper lœsus) Novi spectaculic convivis exhibendi studio, cum quinque alijs, ludis nocturnis incœnaculum prodit, vultu in Leonini oris imaginem personato, reliquum vero corpus delibutum, multoq[ue] lino depexo, ac in villos consecro ita contexit, ut hispida, ac semiferi portenti speciem spectantibus præberent. In orbem restit

De Voluptatibus Corporis.

reste data choreas pedibus plaudunt, fescennino carmine modulantes. Totâ ex Regiâ fit cursus ad picatorum spectaculum. Ludomicus Aurelianensis Regini frater, studio clarus vi- sendi, correptam facem propius admovit. Ex quâ scintilla forte in Regem incidens, repenti- num in omnes illos effusa flamma conflagavit in- cendium. Rege vix servato uxoris Biturigis veste caudata fluxâq; quâ involutus est, ante- quâ ad vivum flamma, jam corpus lambens pervenisset; quatuor miserè ustulati perie- runt: quintus in propinquam promi cellam ruens, aquâ vinoq; se perluens, salutem sibi pe- perit.

Idem in Germaniâ anno 1570 nostrâ adhuc memoriâ accidisse vidimus, cum co- mites aliquot Hohenloënses multis comita- ti nobilibus, Eberhardum consanguineum suum, festo Bachanaliorum, in arce Valden- bergâ, visitandi studio convenissent. Hi ut nobilibus matronis & puellis, nocturnum quoddam ludicrum (ut mos iste nimis fre- quens obtinuit) exhiberent: Faunorum per- sonas, multâ stuprâ, linceis vestibus, pice resi- nâque

Caput Secundum

nâq; agglutinatis, mentiti; jucundissimo spe-
ctaculo convivas ad ludum, projectis in men-
sam tesseris provocât. Ex quibus unâ fortuito
casu in terram delapsâ, puer personatus dum
repetit, funalis incautius adhibiti flammâ con-
cipit, & opem implorat astantium. Eberhar-
dus ipse, pro suâ pietate, puerò periclitanti opi-
tulaturus, eodem malo corripitur: incendun-
tur & reliqui. Iocus esse primò visus est; Mox
rem seriò agi, clamores omnium indicant. Ad
labrum vicinum, quod comes in hunc even-
tum aquâ adimpleri jussérat, certatim accur-
runt; At illud modò non exaruerat. Erat qui
psycterum aquâ plenum asserret; sed in ipso
limine præ nimiâ festinatione ostendens col-
labitur, effusâ quæ intus erat aquâ. Alterius
aquam ferentis cadus ligneus fatiscens, auxi-
lij desperatione calamitatem auget. Et ver-
titur lætitia in miserabilem ejulatum, dum
tribus horis tres comites, in ipso ætatis flore
miseris ustulati modis, periêr.

— *Vsg, adeò nulla est sincera voluptas*
Sollicitumq, aliquid latis intervenit. —
Hujusmodi tragici casus sæpenumerò eve-
niunt

De voluptatibus Corporis.

niunt filijs hujus seculi, qui voluptates carnis
sestantes, & cœno desideriorum suorum invo-
luti, in extremâ se præcipitant periculâ.

Quod si animo contemplari & oculis lu-
strare libuerit, madidos hosce & vino cerevi-
siâque astuantes calicum remiges, Bacchique
socios: quid aliud, nisi deploratorum homi-
num triste & abominandum cernemus spe-
ctaculum, aliotiam plus quam Barbaricam, &
beluinam Dæmonum humanâ specie ober-
rantium, truculentiam. Nihil audies, nisi
porcorum foetidissimorum grunnitus: bo-
um ferocientium mugitus: luporum vo-
racissimorum ululatus: canum rabidissimo-
rum latratus. Nihil videbis, nisi leonum ru-
gientium feritatem: aprorum frendentium
immanitatem: asinorum rudentium levi-
tatem: ranarum coaxantium vomitus. Ni-
hil experiēris aliud, quam gannientium vul-
pium insidias; sibilantium serpentum ictus:
crocitantium corvorum insultus. Videbis,
inquam, sociorum sese modò amplexantium,
strictos in mutuam perniciem gladios, fra-
trum paulò antè osculis inter se certantium, &

F dissua

3.
*Specta-
culum
ebrio-
forum.*

Caput Secundum

disuaviantium, in mutuos sinus vibratos en-
ses, & pugiones. O mirandam Dei mansue-
tudinem vasa iræ suæ, & inutilia hæc terræ
pondera, tantâ patientiâ & benignitate tol-
erantis! Quibus quæso oculis hæc nefanda
mundi catharmata Sancti Dei Angeli con-
templantur? Quibus uero in extremo die
eos alpient?

4.
*Volu-
ptates
attra-
bunt
morbos.*

Cumque corpus juvenilibus annis, quoti-
dianâ ingurgitatione, continuis compotatio-
nibus & immoderato vagarum libidinum u-
su, debilitatum est: multiplicantur in senio
morbi, cumulantur calamitates, & sementem
ut fecerunt in juventute, ita metent in sene-
ctute, & colo quod aptarunt (ut est in prover-
bio) ipsis nendum, & quod intriverunt, ex-
edendum erit; adeoque sortem unâ cum u-
lurâ persolvere miseri tenebuntur. Crapula
enim multorum mater est periculosisserum
morborum. Et vere inquit Cic: *Litidinosa*
intemperans adolescentia effætum corps
tradit senectuti. Nec facit ad longam crapula
multa diem.

5.

Maximum autem incontinentiæ malum
lexa

De voluptatibus Corporis.

Iesa conscientia est. In primis autem in senectute, quando tristitia, ingenti curarum, tentacionum & sollicitudinum agmine, nobilissimum animū obruit, premit, torquet, excruciat, deniq; varijs miseriarum fluctib; involuit, opprimit, conficit. Nullus enim dolor gravior est, quam qui peccati mucrone vulnerat conscientiam.

Tandem & ipsa Mors ante tempus, vinariā istā anginā, & reliquis voluptatibus acceleratur, & homo parricidium inleplum committit, atq; adeò bis, ut dicitur, interimitur, qui suis armis perit, magisq; dolent incommoda, quibus ipsi occasionem dedimus. Quæ res nullo modò coram Deo excusari potest. Quemadmodum latrones incautos obruunt, ut eos aut jugulent, aut bona eorum deprædentur: Ita ebrietas mortem antè tempus accelerat, & spoliat madulas hosce, omni fortunā, famā, existimatione, sensu, memoriā.

Ense cadunt multū; perimit sed crapula plures.

Cum igitur ex his omnibus appareat, Corporis voluptates, omnis generis mala, ut Cæsi as nubes attrahere, & hos esse casses, quibus ut in mari pisces, homines incauti irretiuntur,

6.
Voluptates mortem accele-
rant.

Caput Secundum

& capiuntur, adeoq[ue] escam esse malorum omnium : satis liquidò concludimus : Corporis voluptates, nullam veram, sinceram, perfectam & solidam felicitatem ; sed multò magis præsentissimum corporis pariter & animæ existium generare, unde tristitia & mœror, dolor & gemitus nascuntur. Rectè itaque Cato : Nulla capitalior pestis, quam corporis voluptas hominibus à naturâ data est.

Et ut fluxæ, caduca & momentanea sunt omnia humana: ita gaudium ex voluptatibus corporis quod provenit, transitum & citò peritum est. *Gaudium carnis finitur cum carne. Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Itaque homo sperne voluptates, nocet empta tanto cum dolore voluptas. Fuge quæ corpori immodicam voluptatem afferre possunt. Quique autem actis temporibus, totam fortè dedisti adolescentiam voluptati, emerge tandem, ex his spinis lethaliter animum pungentibus, & te ad meliorem frugem recipere. Maturatò opus est, nec tamen diu expectandū, donec per se adolescentiæ cupiditates & astus deforbuerint. Expedi te illis tricis, tantò melius

De Voluptatibus Corporis.

lius quantò ocyus. Virtuti te des , in hac flo-
rente ætate tuâ ô adoleſcens ; Hujus in caſtris
milita , Nam in voluptatis regno non potest
virtus confiſtere.

Modica & honesta recreatio, finitis & ex-
antlatis cuiusque vocationis laboribus, non
improbatur divino numini ; ſed hæc ſuis
circumſcripta eſt limitibus , & limitata termi-
nis. Et generofus animus his recreationibus,
& cuticulæ curandæ rationibus, non inhæret ;
ſubinde verò ad vocationis labores & hone-
ſta exercitia ſe recipit. His piæ mentes magis,
quàm iſlis recreantur. Noverunt etiam ſe
aliquandò reddituros eſſe de vitâ in hoc ſecu-
lo peractâ rationem ei, qui paratus eſt judica-
re orbem terrarum in iuſtitia : Et toti ſe com-
ponunt ad mores ejus, quem ſciunt ſibi pro-
poſitum à patre æterno, exemplum quod imi-
tentur, viam, quam gradiantur, ſcopum, ad
quem defixis mentiū oculis colliment: quem-
que noverunt, ſe ſe ductorem præbuiffe in hæc
virtutis viâ, quantumvis lubricâ, spinosâ, ſen-
tibus atque urticis obductâ, & in quâ facilis
lapsus eſt, dum inquit: *Qui me ſequitur, non*

Iohan: 14.
i. Petri 2.
Ephes: 5.

Caput Tertium.

ambulat in tenebris; sed habet lumen vita. Novi-
verunt igitur non decere sub spinoso capite mem-
brum esse delicatum: nec posse regnare cum Christo,
qui velit luxuriare cum mundo, ut D. Bern-
hardi & Aug. Verbis hunc locum concludam.

CAPVT TERTIVM.

AN FORTVNÆ BONA VI-
tam beatam præsent, vero perfecto &
perenni Gaudio abundant.


Vm igitur Beatam vitam, unà cum vero, solido & stabili Gau-
dio, in sordido voluptatis regno, ne-
quaquam reperiri, luce meridianâ clarus, ex il-
lis quæ adduximus rationibus, appareat; ad
speciosa fortunæ munera contemplanda mē-
tem atque animum deinceps intendemus, &
quid veræ felicitatis, perfecti sinceriq; Gaudij
in his contineatur, considerabimus.

FORTVNAM autem ipsam primò, pòst
ejusdem varios census & munera amplissima
perscrutabimur: ne quaquam hominum pro-
phanorum subscriptentes delirijs, qui vel De-
am il.

De Fortuna

Fortu-
na quid
sit.

am illam, aut divinum aliquod Numen esse finixerunt: cui potestas sit res humanas ad libitum versandi, quodque volucre sit, cœcum, varium, inconstans, casu gaudens non ratione: neque illis astipulabimur, qui inopinatum rei eventum eam dixerent. Sed providentiam diuinam potius eam esse statuimus, quæ mirabiliter suo nutu consilioque, res humanas prater hominem opinionem & consilia, gubernat & regit. Sed quia ita hominibus persuasum est, esse Fortunæ vim ingentem, quâ omnia humana in utramque partem versat, communide ei servato loquendi more, res divinæ prvidentiae subjectas intelligemus.

Ad ipsam itaque quiod attinet Fortunam, nemini non constat, quantâ religione & fide illa obliteretur, ab his qui terrena tantum sapient, qui eam ut Deam colunt, & ad nutum ejus omnes vitæ actiones & consilia referunt. Nihil magis in votis habent homines plerique quam ut fortunæ secundos afflatus, in omnibus suis negotijs experiantur. Votis compotes facti, ingenti perfunduntur gaudio: Beatos se esse, & nullâ deinceps indigere re alia

Caput Tertium.

re aliâ existimantes; alto feruntur Spíritu, & Fortunæ auspicijs confisi, reliquos præ se homines fastidiunt & contemnunt: Id quod paucis quibusdam exemplis antè oculos ponemus.

Crœsus

CROESVS Lidorum Rex, secundis fortunæ rebus prosper & elatus, Solonem nullâ aliâ de causâ accersivit, nisi ut opes illi suas ambitiosè ostentaret; & beatus ab eo prædicaretur, illeque testis ejus felicitatis abiret. Quærit igitur ab eo, num quem alium hominem se beatiorem vidisset unquam?

Sylla.

L. SYLLA rebus florentissimis usus; in eam devenit amentiam, ut se fortunatum Syllam ausus fuerit appellare.

Polycrates.

POLYCRATES Samius, per omnem vitâ feliçissimus, ut Fortunæ pérpetuum favorem experiretur, suasu Amasis Aegyptiorum Regis, anulum signatorium smaragdo, seu, ut Plinius scribit, sardoniche pretiosissimum, & si bi ex omnibus gemmis charissimum; in profundum mari abjecit: Quem tamen, capto & exenterato, qui eum devoraverat pisce, Regiq; muneris loco à pescatoribus oblato, cum

Herodes

recu-

De Fortuna.

recuperasset ; existimavit , se omnium hominum esse felicissimum , nec ullam adversantis Fortunæ injuriam se unquam sensurum confisus est.

Herodo-
tus.

Eadem prorsus de HUGOLINO PISANO Guelfarum partium principe , Platina refert : quod prospero per omnem vitam , & felici rerum omnium successu clarus suisque civibus charus , opibus firmus , prole multâ & seris ne- potibus felix semper extiterit . Itaq; pater patriæ à suis & Dominus appellatus ; vitam in florentissimo fortunarum omnium statu jucundam , in florentissimâ Florentiæ republi- cā duxit , & ad nutum omnia gubernavit . His elatus successibus , Fortunæque adblandienti plurimùm confisus , celebri frequentique nata- lis diei convivio , Fortunam suam deprædica- re , attollere , & tantum non cœlo adæquare , de- nique ex intimis amicis querere ausus fuit ; numquid abesse videretur : Vnus ex his : sola Numinis (inquit) abesse ira procūl à tām splen- didis Secundis rebus diuq; nequit ; motus re- putatione incertitudinis rerum humanarum , & ambiguæ sortis fallaci exitu . Et necesse erat

Hugo-
linus.

In vita Ni-
colai 3.

G

inquit

Caput Tertium

inquit Platina , congesta in unum hominem ,
nondum alteram fortunam expertum bona ,
excipi calamitate ingenti.

Thules.
Gyges.

THVLES R. Aegypti, & GYGES post ade-
ptam Lydiam, Serapidem consulunt; num qui
se beatiores essent.

Heu dementiam, heu vanitatem ; fortunæ
secundioris afflatu ita tumescere , ut fragilita-
tis humanæ obliiti homines , præponere se o-
mnibus alijs non verecudentur : atque adeò
ipsi Deo se simillimos esse , superbâ persuasio-
ne existiment : & incertæ fallacisque sortis pos-
sessione dubiâ , ita lætari , quasi cunctis pericu-
lis erepti , in tutissimum felicitatis portum sint
collocati . Itaque hanc felicitatem , hoc Gau-
dium minimè verum , nec solidum , nec per-
petuum esse ostendemus.

I.

Veram Beatitudinem & Gaudium Fortu-
nam non efficere .

I.
Quia
Cœca
cœcos
reddit

Q Vamvis Fortuna rerum omnium Do-
mina à Cicerone & reliquis Philoso-
phis dicatur , ob divinam ejus potentiam , quâ
ludit in rebus humanis , & summa imis , insi-
ma sum-

De Fortuna.

ma summis miscet: cœca tamen seu colligata facie pingitur, propterea quod cœco quodam impetu, nullâ certâ fertur ratione modoque, & cœcos plerunque efficit, quos peculiari favore complectitur, quique se arbitrio ejus commiserunt. Hinc sit, ut cùm veram felicitatem & genuinum Gaudium, se ex ejus commercio assecutos existiment; vanâ spe delusos, & fallacis Dex blanditijs se deceptos, serò nimis conquerantur.

Hæc quoque cum sensus dementet, rationem excœceret, & prudentissimè cogitata pessimis successibus implicit, ecquis veri illam, & sinceri Gaudij autorem existimabit? nonne cum Cicerone ferè fatebimur, *vitam fortunā non sapientiā regi?*

An non sapientissimi semper Duces & rump: rectores prudentissimi, omnia sua consilia, ad veram rationis trutinam revocarunt? nonne Darius, Xerxes, Pompejus sapientissimè res suas constituerunt; sed *cum Fors in armis plus quam ratio possit*, destituti Fortunæ secundioris favore, seu potius providentia diuinæ nutu, successu caruerunt.

G 2

Quin-

2.
*Sensus
omnes
demen-
tat.*

Caput Tertium

3
*Quia
ingenti
homi-
nes tri-
stitia
afficit.*

Quinimò ipsa rerum experientia testatur,
nullum genus mortalium majori tristitiā af-
fici, quàm qui Fortunam perpetuò sibi habu-
êre faventem, & quibus illa quàm indulgen-
tissimè sua munera contulit. Nam cum per-
petuae sint rerum vices humanarum, & Fortu-
na sui semper similis, nunquàm diu uno con-
sistat loco, sit ut *multis amaritudinibus huma-
nae felicitatis dulcedo sit respersa*, & majori do-
lore exrutientur homines, ex amissione bo-
norum, quæ possederunt, quàm si nunquàm
eadem in potestate habuissent.

Horat:lib:
1.Epist:10.

*Quem res plus nimiò delectaverē secunda
Mutatae quatient. —*

Cum itaque Fortuna variat vices: cum hu-
ic acerbos vultus ostendit; cui hactenus ad-
modum blandita est: & isti corrugatâ fronte
tristissimum aspectum præbet; cui paulò an-
tè jucundissimè arrisit: eumq; quasi ex altissi-
mo gradu deiicit; quem nuper ad summum
felicitatis apicem evexerat; tanto majori tri-
stitiā & dolore pectora percelluntur, quò ma-
jus ex blandimentis Fortunæ conceperant
gaudium. *Latiiores reliquit, quos Fortuna
nunquam*

De Fortuna

nunquam respexit (inquit Seneca) quam quos
deseruit. Et Boëtius: *An tu pretiosam asti-
mas abituram felicitatem, & chara tibi est
fortuna præsens, nec manendi fida, & cum dis-
cesserit, allatura mœrorem.* *Quod si arbitrio
retineri non potest, & calamitosos fugiens fa-
cit, quid est aliud fugax, quam futura quod-
dam calamitatis indicium.*

Et testantur omnium temporum Historię,
non paucos fuisse, qui inserto dolori succu-
buerunt, & adversantis Fortunę ictus non
sustinuerunt. Hinc Cic: *O me nunquam sa-
pientem! O volucrem Fortunam, quam citò
omnia, ex latitudine & voluptate ad luctum &
lachrymas recidunt. Quod cum ita sit, nul-
lum verum gaudium in Fortunę blandimen-
tis reperiri manifestum est.*

Cumque secundis plerunque rebus animi
hominum luxurire, insolescere & ^{ξερβιδι}
soleant, atque facillime in omnis generis vitia
prolabantur: (*Lasciviam siquidem amant,*
atque superbiam res secundæ) undè laeso Numi-
ne ira Dei provocatur, accersuntur tristissi-
mæ poenæ & cumulantur calamitates; non vi-

4.
Facit
homi-
nes in-
solescere

Caput Tertium.

Baltha-
sar.

Dives.
Lucas 12.

5.
*Quia
timorē
incutit.*

6.
*Quia
fallax
est va-
ria.*

deo quid veri sincerique Gaudij in Fortunæ bonis existat. **B A L T H A S A R O** novissimo Assyriorum Monarchæ, securè lascivienti, & cum purpuratis suis convivia in multam usq; noctem protrahenti, dum Fortunæ nimium fudit; manus in pariete scribens, pœnam interitumque denunciat. **D I V E S** ille copioso frumentorum proventu elatus; tristissimam audit vocem, quâ anima confessim ab eo repetitur. Ad eundem mōdum, alij quam plures, Croesus, Alexander Magnus, Pompejus, Cæsar, Sylla, affluentis Fortunæ successibus securi & feroces, ingentem animo fastum conceperunt, sibiisque peccatis suis pœnas attraxerunt tristissimas.

Præterea, cum anceps semper sit Fortuna & quovis Euripo mutabilior, timorem verius hominibus incutit, quam verum Gaudium. Neque enim timore qui corripitur, gaudere poterit. Atqui Fortuna cum blanditur, captatum advenit, Et tūm maximē metuenda.

Et quâ unquam ratione veram felicitatem & Gaudium efficiet; quod per se neq; verum, neque sincerum existit; sed falsum, fictum & pictum,

De Fortuna

pictum, fallax, & per omnia mutabile? Ejus-
modi autem esse Fortunam, tūm communi
omnium testatum fit experientia, tūm sano-
rum omnium judicio comprobatur. Hæc
enim mirabilis modo ludit in rebus humanis:
nunc blanda & indulgens; nunc scœva & infe-
sta: modò maternos induit affectus; modò
novercæ furorem imitatur: honore hos; con-
tumeliâ alios afficit: hos elevat, illos deprimit:
dat & aufert: *Omnia versat, inquit Poëta,*
ancipiti casu, & pro libitu miseris homines
vexat atque eludit.

Quid enim homo, quæso, aliud est, nisi For-
tuna ludibrium, uti SABELLICUS de P. VENTIDIO
scribit, quem *Fortuna luserit, & luserit ad de-*
*rīsum usq; mortalium, & vita hujus ludibri-
um.* Is puer bis ductus in Triumpho est, &
quidem matris sinu, antè Imperatoris cur-
rum, ut refert Gellius. Post cum adolevisset,
ægrè sibi victimum quæsivit, eumque satis sor-
didè invenit; comparandis nimis rūpēs, & ter-
gendis mulis, & vehiculis, quæ Magistratibus
provincias sortitis mercede præberet. Ex hoc
tām sordido Ventidio, Fortuna, providentia

Venti-
dius.
Fortu-
na ludi-
brium.

Gellius
Lib: 15.
Cap. 4.
Noct: Att:
Massurius.
Ci: 1. Tus:
Sabel: lib:
7. cap: 8.

Dei

Caput Tertium.

Plin:lib.7.
cap:43:

Dei verius dixerim, primū Cæsar is inter-
nuncium, mox tribunū etiam plebis, tandem
urbis prætorem fecit. Sed interfecto Cæsare,
& manum retrahente Fortunā, hostis Pop:
Rom: cum Antonio judicatus est. At non
multò pōst conjunctis partibus, non pristi-
nam modò dignitatem recuperavit; sed &
Pontificatum & exin consulatum adeptus est.
Quam rem tam intoleranter tulit populus
Romanus, qui Ventidium Bassum memine-
rat, curandis & fricandis mulis vicitasse, ut
vulgō vijs urbis versiculi præscriberentur:
Concurrite omnes augures: aruspices:
Portentum inusitatū conflatum est recens:
Nam mulos qui fricabat; consul factus est.
Gellius addit ex Svetonio, cundem Bassum à
M. Antonio provincijs orientalibus præposi-
tum esse: Parthos in Syriam irrumpentes tri-
bus prælijs fudisse. Eam nimirum gentem, in-
quit Sabeilicus bello fregit, qua una omnium,
ad orientem solem Romanos frangeret cona-
tus. Primus de Parthis Triumphum duxit:
& morte obitā publico funere sepultus est: In-
signi variantis Fortunæ exemplo.

Adeun.

De Fortuna.

Ad eundem planè modum Eunapius AB-
LABIVM pilum & lusum Fortunæ nominat:
Propterea quod humili genere ortum, For-
tuna ad summam dignitatem Prætorio præ-
fecti, sub Constantino M. evexit, & ad eam
sustulit dignitatem (quod testatur Volaterra-
nus) ut unà cum Constantio filio Imperij Re-
ctor ab Imperatore relinquetur; sed mox
dejectum, in Bithyniam usque exulare For-
tuna coëgit. Quo missi ab Imperatore per-
cussores non pauci, literas honorarias ad pe-
des ejus provoluti, primò exhibit: quibus
perfectis, omni metu solutus, purpuram ma-
gno fastu advenas poposcit. At illi, nihil se
amplius in mandatis habere professi, pro fo-
ribus stare, quibus tradendæ purpuræ cura
incumberet, dixerunt. Intromissi, virumq;
adorti: prostola purpurca, necem illi purpu-
ream obtulerunt, frustratim dissecto in modum
pecudis, quæ publico in epulo conciditur.

Consimili modo Val:Max: Consulem &
Imperatorem MARIVM Fortunæ luctatio-
nem nominat, quod omnes ejusdem impe-
tus, tam corporis quam animi robore fortifi-

H ter

ABLABIUS
Fortunæ
pilum &
lusus.

Lib. 13. fol.
mihi 208.
Antro.

MARIUS
Fortunæ
luctatio.
Lib. 6.
cap. II.

Caput tertium

ter sustinuit. Initio enim Fortuna omnes ei ad dignitates vias clausit, s^pissimè repulsam patienti; cum Arpinatibus honoribus inferior esset judicatus, & ad Quæsturam non admitteretur: In tribunatus quoque & adilitatis petitione consimilem Campi notam expertus esset; fugiente eum semper Fortunâ, quam ille summa animi contentionе ubique sequebatur, & id unum ageret, ut ad summa concenderet. At illa, ubi primò reflectere gradum, & benignè alumnum suum aspicere coepit, clausas anteà ad omnes dignitates & honores fenestras ita illi aperuit, ut ex humili illo Arpinate, tam ignobili Romæ, tamq; fastiendo Candidato, inquit Val: ille Marius evaserit, qui Africam subjecit: Ingurham Regem ante currum egit: qui Teutonicorum Cymbrorumq; exercitus delevit: Cujus bina Trophea in urbe spectata sunt: Cujus in Fastis consulatus septem leguntur: Cui post exilium consulem creari, proscriptoq; facere proscriptionem contigit. Quid hujus conditione inconstantius aut mutabilius? Quem si inter miseros posueris, erit miserimus,

De Fortuna.

mus, si inter felices, felicissimus reperietur. De eo Manilius.

Quod Consul toties, exulg^q, ex excule Consul
Et jacuit Lybicis compar jactura ruinis

Heu vitam cunctorum mortalium! O quam
fluxa fallaciique specie & volucri orbe res hu-
manæ circumaguntur! Ut in procelloso ma-
ri naves à fluctibus quatuntur, huc atque il-
luc impelluntur, nunc in altum deducuntur,
nunc in profundum deiciuntur: aut veluti
in æstu varijs vicibus defluo & refluo mari:
Ita Fortuna miseris variè torquet, quosdam
evertens, nonnullos ad summum dignitatis
fastigium extollens. Atque hujus rei evi-
dentissimum in seipso præbet nobis exem-
plum insignis ille Atheniensium Dux ALCI-
BIADES, de cuius varia & mirabili fortuna,
quæ Plutarchus luculenter & copiosè scribit,
Val: Max: paucis comprehendit, cum dicit:
Duas Fortunas hunc hominem, inter se quasi
partitas esse: alteram quæ ei nobilitatem exi-
miam, abundantes divitias, formam præstan-
tissimam, favorem civium propensum, summa-

Alcibi-
ades.

In Alcibi-
ade.

H 2 Impc-

Caput tertium

Imperia, præcipuas potentia vires, & flagrantissimum ingenium assignaret: alteram, quæ damnationem, exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, violentam denique mortem infligeret: nec aut hæc, aut illa universa: sed varia, perplexa, freto atque astui simillima.

Non igitur te ò homo decipiat arridentis Fortunæ speciosa facies, nec circumveniat blanda adulantis simulatio. Nam cum illa lœtissimo vultu apparet, pullam induere cogitat. Et cui imponere studet? nisi cum quo blandissimam exercet familiaritatem. Quæ enim (ut verissime Plinius) facit magna Gaudia, nisi ex magnis malis? aut quæ mala immensa, nisi ex ingentibus gaudijs? Et Seneca: Fortuna cum blanditur captatum advenit.

Quod intelligens sapientissimus Aeg: R. AMASIS, cum Polycrate, suam Fortunam extollente, jus hospitij & amicitiae, misso caduceatore solvit, testatus ut inquit Sabellicus, videre se Fortunam insidiari huic, cui tam indulgenter obsequeretur. voluit R. sapiens dolorem antevertere suum, quem ex amici calamita-

Polycratis.

Lib: 4.
cap. 1.

De Fortuna.

mitate, quam paulò pōst secuturam, ex prodigiosa hominis Fortuna prævidit, habiturus esset. Rectè itaque Divus Augustinus. Prospéra hujus mundi asperitatem habent veram; iucunditatem falsam, certum dolorem; incertam voluptatem. Et Eccle: Vanitas vanitatum & omnia vanitas.

I I.

Fortuna perfectum Gaudium & felicitatem non efficit.

VT minimè verum, ita nec perfectum confert Fortuna Gaudium & felicitatem. Varia enim & anceps cum sit in se Sors omnis, nec unquam sibi constans, in annos, dies & horas, alternatur, & qvovis Eurypo est mutabilior. Itaque fit subinde, ut cuj toto vitæ tempore patrocinata sit, eum in extrema senectute turpiter deserat, & tanto graviori torqveat dolore, quanto majore Gaudio affecit: & quæ perpetuum cursum prosperitatis plenis semper velis tenuit; unico demum ictu tantò validioris fulminis, omnibusque congestis telis, miserum prosternat. Aliquando

H 3 per

Caput tertium

2. per totam ætatem nullo amico dignatur intuitu illum, cui in vltima demum senecta lepidè arridet. Alius Fortunam in principio & fine vitæ suæ indulgentissimam experitur, quam in medio cursu novercantem semper, & insidiantem sibi conquestus est. Alius contrà medium tenet vitæ cursum felicem & exoptatum; extrema autem dura & aspera deplorat. Quandoque prodigioso ludo exagitat homines, vario felicitatis & infortunij, ancipiisque turbine & conflictu, nullo servato ordine, ut supra pluribus vidimus exemplis. Interdum placet infimæ sortis & abjectissimæ conditionis homines in altum tollere, ut Mosen, Saul, David, Aesther, Machabæos, Sfortiam, *W*illichiū, Agathoclem & alios innumeros: Rursus quosdam ex summo rerum fastigio deturbare & ad imprecipitare, ut Haman, Vasthi, Adonibesek, Crœsum, Henricum 4. & plurimos alios. Hæc est instabilis aura Fortunæ, qvæ dignos sœpè respuit; indignos honoribus ornat: bene miritos deiicit; immeritos in altum collocat; evertit bonos, erigit improbos: Hunc isto,

De Fortuna

isto, alium alio loco benignius fovet. Sed videamus hujus varietatis quædam exempla, quasi vivas Imagines nobis ob oculos positas.

Quos Fortuna initio complexa est, tandem verò deseruit.

HOrum et si ingens omnium ætatum fuit numerus, ex multis tamen præcipuos commemorabimus. **POLYCRATIS** Samij paulo antè fecimus mentionem. Omnes eius conatus felicissimo semper excipiebantur successu: nihil tam arduum moliebatur, nihil tam difficile conabatur, in quo Fortuna secundis successibus, votis eius non respondebat. Vicinis igitur omnibus absque omni discrimine bellum intulit prospero semper eventu: His urbes, istis regiones ademit reddiditque. Itaq; fiducia fortis secundæ eò pervenit, ut quæsitus, cur ablata statim redideret, jactare vulgo consueverit: *Se magis gratificari amico, si ablata restitueret, quam si nibil ademisset.* Lusit ille non minus cū Fortuna, quam ipsa cum eo. Vidimus prodigiosam hominis Fortunam, videamus & exitum ad stupor-

Polycrates.

Caput tertium

stuporem calamitosum & tragicum Nam
quæ eum Fortuna , ut propriam sobolem ,
blandissimo affectu semper prosecuta fuit ,
eadem ad ingenium rediens , ita erga eum ex-
canduit , ut immani sævitia proculatum &
abjectum , non modo deseruerit , sed quasi in
vastuosi maris profundissimo infelicitatis &
calamitatum gurgite eum demerserit : Oræ-
tes Darij præfectus astu circumventum , & ad
se adductum , ut suo loco dicetur , in excelsis
Mycalensis montis vertice nudum & vivum ,
post varia tormenta cruci affixit : In qua in-
terdiu astivis diebus exudante ex membris ,
putridis artibus ab domine , à sole unctus , ab
Iove cum plueret lotus est , ut filia ipsius in
sommis viderat .

Hugoli-
nus.

Æmilius.
lib. 3.

HUGOLINVM quoque suprà Fortunam
suam decantantem & efferentem in scenam
produxiimus : vaticinio corripiens hominis
fastum , eventus respondit , Gibellini (erat
enim ipse Guelpharum partium) ductu Ro-
gerij Archi Epil: Pisani , armis correptis , ædes
eius circumsistunt , & oppugnant : vnum è fi-
lijs unumque nepotum , vim arcere conatos ,
ipso

De Fortuna.

ipso aspiciente occidunt. Ipsum & duos pre-
terea filios, tres nepotes comprehensos; in
turrim inclusere obseratis foribus, clavibusq;
in Arnum propinquum flumen dejectis. Ibi
famæ, in oculis, in gremio suo, charissima pigno-
ra, parens moriens, morientia vidit. Vocife-
ranti, exposcentiq;, ut supplicijs humanis exi-
gendas, inimici contenti essent, sacra confessio-
nis, sacrò sancti qui viatici potestas facta non est.

Sabellis

Ad quantum dignitatis & gloriæ culmen
Fortuna BELISARIVM evexerit, testantur hi-
storiæ. Vicit Persas. Vandolorum regnum
in Africa, trium mensium spatio, Reges eorum
Guilimero capto, & in triumphum ducto,
evertit. Gothicum omne nomen in Italia
contudit, & Romam contrà Vitigem eorum
Regem tutatus est: quem postea Ravennæ
obfessum cum urbe cepit, & Constantino-
polim in Triumphum duxit; quod bellum
variâ fortunâ annis 18 gestum est. Hinc
in toto Mundo celebris evasit, & in tanto pre-
tio fuit apud Iustinianum Imperatorem, ut
is percusso nummo, in altera parte se, in altera
Belisarium armatum effinxerit, cum hâc in-

Belisa-
rius.

Sabel:lib.,
Enne. 8.
Egnat:lib:
6. cap: 10.

Cedre-
nus.

I scripti-

Caput Tertium

scriptione: BELISARIUS ROMANORVM
DECVS: Hunc tantum Belisarium tam
magnanimum, tam fortissimum Ducem,
ita evertit Fortuna; ut eum in senecta, omni
honore, gloriâ & dignitate exuerit, visu, opi-
bus & fortunis omnibus privaverit, atque in
D. Sophiæ templo Constantinopoli stipem
emendicare coegerit.

His IVLII CAESARIS ET POMPEI hi-
storix meritò annumerandæ sunt. Qui
cum fuerint præstantissimi Imperatores, for-
tissimi Duces & Romanæ Monarchiæ Con-
ditores primi; Plinius ita de his scriptum re-
liquit. Si quis velit unâ cum Pompeij rebus
Caesaris res percensere, totum profecto terra-
rum orbem enumeret. Et tamen hi felicissi-
mi omnium, qui unquam extiterunt Impera-
tores, & quasi ornamenta fuere gentium,
miserabilem planè & indignum suâ dignita-
te exitum, sortiti sunt.

IVLIVS
CAESAR.
Brevis
summa
veram

IVLIVS CAESAR, unus omnium qui
omni memoria fuerunt, ALEXANDRVM M.
rerum gestarum magnitudine & quâsse cense-
tur. Nam trecentas gentes subegisse: quin-
quagi

De Fortuna.

quagies collatis signis cum hoste dimicasse : annis non totis decem , gesto in Gallia bello , oppida plus octingenta vi cepisse , & quinque Triumphum duxisse , historiae testantur . Signa diversis temporibus contulit cum tricies centenis millibus , ex quibus ultra decies centena millia in acie interfecit : seu ut Plinius : *Prater civiles victorias , undecies centena millia , & nonaginta duo millia hominum casa in praelijs ab eo.* Resert autem Plutarchus cum ex Africa in urbem rediisset , & tres Triumphos simul duxisset , sub quibus ingentia premia militibus esset largitus , & totum populum epulis exceperisset ; acto censu ut moris erat , pro trecentis viginti millibus ciuium , quot superiore censu fuerant , censi sint in totum centum & quinquaginta desideratis centum septuaginta millibus . Helvetiorum trecenta millia , in Galliam irrumptentia profigavit , ex quibus plus centum millia cepit . Ariovistum Germanorum Regem vicit , casis ex illius exercitu octuaginta millibus . Nervios Belgas rebellantes ita domuit , ut ex sexaginta millibus , quingenta tantum incolumes

gestarū
Casaris.
Plutar-
chus.

Plinius.

Plutar-
chus.

Caput Tertium

evaferint. Germanos denuò in Galliam irrumperentes fudit, casis ex illis CCCM.
Britannia Regem Romanis tributarium fecit.
Galli rebellantes, cùm Cottam & Titurium
cum exercitu delevissent; Cæsar cum septem
millibus, hostium sexaginta millia superavit.
Rursus Germanis quibusdam & Gallis rebel-
lantibus duce VERCINGENTORIGE; He-
duos in Lingonum finibus vicit, reliquis in
Alexiam urbem confugientibus non infra
CLXXM. Quos dum Cæsar obsidet CCCM.
supervenere. Cæsar duobus muris inclusus,
incredibili celeritate ac prudentiâ utrosq; ca-
cidit: Vercingentorigen cepit. Pompejum
repugnantem ejus consulatus petitioni, Româ
fugavit, Italâ ejecit: quâ sexaginta dierum
spatio, totâ absq; sanguine sibi subjectâ; illum
in Pharsalia vicit, direptis castris, casis sex mil-
libus, reliquis captis. Pharnacem Mithridatis
filium rebellem vicit, Ponto submovit, & ex-
ercitum ejus interneccione delevit. Contra
Scipionem & Catonem in Africam movens,
unius diei spatio, tribus hostium castris potitus
est; Iuba scili: Regis, Afranij & Scipionis, mil-
libus

De Fortuna

libus q̄ vinquaginta c̄sis ; ne q̄ vinquaginta
qvidem ē suis desideratis. Tandem contrā
Pompeij filios , in Hispaniā memorabili victo-
riā potitus, hostium triginta millia cecidit; vix
mille de suis amisit. Indē post quartum
consulatum, dictator creatus perpetuus , fortuna
perpetuō faventis clementiam exper-
tus ; ipse erga hostes ad p̄nitentiam usq; cle-
mentissimus. Itaque hæc ipsa clientem su-
um, ad summum in toto orbe fastigium eve-
ctum , & in aureum solium Romæ in Curiā
collocatum ; opinione citius dereliquit , ac
Cassio & Bruto reliquisque conjuratis, virgini-
tribus vulneribus trucidandum , in manus
nefarias tradidit.

O miseram felicitatis humanæ conditio-
nem ! Tantā c̄de, tot laboribus, tanto ef-
fuso generis humani sanguine partum Impe-
rium ! Cujus fructum, dūm vix primis labris
attigerat, unā cum vita & sangvine amisit.

P O M P E I V S verè Magnus, in quo vel uno
magna sortis humanæ reperientur volumi-
na , ad tantam ascendit faventis ubique For-

P O M P E -
I V S.
B r e v i s
E b u -
j u s r e r û

Caput Tertium.

gestarū
jumma.
Plutar-
chus.

tunx prospere cursu dignitatem, ut à suis Agamemnon, & Rex Regum fuerit appellatus, & cum Iulio Cæsare de Imperio ausus fuerit decertare: ex quo, ut Plinius ait, non modò Alexander M. rerum fulgore; sed & Herculis propè & Liberi patris. Annos natus viginti quartuor, tribus Marianorum Ducibus fugatis, Italia, Gallia, Sicilia, Africa, virtutem ejus mirari coepit: fusis ubique magna strage hostibus, Regna Regumque negotia composuit. Solus Eques Romanus, nondum per aetatem vel Consul, vel Prætor, vel Senator, triumphū duxit.

Plinius
libro 7.
cap: 40.

Ad solis occasum transgressus, excitatis in Pyrenæo Trophais, 876 oppida ab Alpibus ad fines Hispaniae ulterioris, in ditionem redacta, victorijs suis ascripsit, & majori animo Sertorium tacuit, quem unā cum Perpenna & Herennio fugavit; cæsis amplius decadē millibus hostium. Bello civili (quod omnia externa conciebat) extincto, iterum Triumphales curru Eques Romanus induxit; toties Imperator, antequam miles. Postea ad tot maria & versus solis ortus missus, hos retulit patria titulos, quos

De Fortuna

quos in delubro Minerva, quod ex manubij
dicabat, urbi tribuit: Cn: POMPEIVS MA-
GNVS IMPERATOR, BELLO TRIGINTA
ANNORVM CONFECTO, FVSI, FVGA-
TIS, OCCISIS, IN DEDITIONEM ACCE-
ptis hominum vices semel centenis octuagin-
ta millibus: depressis aut captis navibus octin-
gentis, quadraginta sex: Oppidis, castellis,
mille quingentis triginta octo, in fidem rece-
ptis: terris à Maeotidis lacu ad rubrum mare
subactis; votum meritò Minerva. Hoc est,
inquit Plinius, Breviarium ejus ab Oriente.
Alterius vero Triumphi quem duxit Praefatio
hæc fuit: CVM ORAM MARITIMAM A
PRÆDONIBVS LIBERASSET, ET IMPERI-
VM MARI'S POP: ROM: RESTITVISSET; EX ASIA,
PONTO, ARMENIA, PAPHLAGONIA, CAPPADOCIA,
CILITIA, SYRIA, SCYTHIS, ALBANIS, IBERIS,
INSVLACRETA, BASTERNIS, ET SVPER HÆC DE
Regibus Mithridate atq; Tigrane triumpha-
vit. Summa summarum in eo Gloria fuit.
Hunc tantum Pompejum, quem Fortuna
tam gloriosum, clarum & magnum in omni
vitâ fecerat, in fine tam parvum & diminu-
tum reddidit, ut unâ pugnâ Pharsalicâ, unâ
que horâ, omnem in universum Gloriam
cum totius orbis Imperio, & ipsâ vitâ amise-
rit:

Caput Tertium.

rit: cum ipsi in Aegyptum fugienti , jussu
Ptolomæi Regis ab Achillâ perfidè caput am-
putaretur : truncus verò , marcidis scaphæ
piscatoriæ reliquijs , in littore , à Philippo li-
berto suo funeraretur; erectâ Palâ cum hâc
inscriptione: **HIC SITVS EST POMPE-**
IUS MAGNVS.

Ovid: lib:
3. de Pon-
te 3.

Alex:
M.

Sabellicus

*Quid fuerat Magno majus? tamē ille rogavit
Submissâ fugiens voce clienti opem
Cuiq; viro totus terrarum paruit orbis
Indigus effectus omnibus ipso magis.*

Hujus ordinis sunt alij complures: ut ALEX-
AND: M. quem ad æthera usq; aureis For-
tuna, id est, providentia divina evexit pennis,
totiusque orbis Domitorem paucis annis fe-
cit. Rursus verò unico iectu de gloriæ sede
deturbavit, ut Regnum & vitam simul amit-
teret.

In hunc itidem Catalogum recenseri pos-
sunt, Samson, Jonathan, Holofernes, Hanni-
bal, Cicero, Demosthenes, Crassus, Henricus
quartus, Carolus quintus nostra memoria,
tam in morte humilis, quam in vita gloriosus.

Quos omnes hic referre nimis longum fo-
ret:

De Fortuna.

ret: Vnicam REGNERI Daniæ Regis historiam breviter attexemus. Nam integrum qui volent cognoscere, ex Crantio lib: 4. Cap: 6. 7. 8. 9. 10. Daniæ: & ex Saxone lib: 9. petit. Hunc quidem innumeris beneficiorum gradibus, à primâ origine, dum vitali modò aurâ frui incœpit, nunquam interpolante infortunio, divina providentia affecit.

Regne-
rus.

THORAM Sueonum Regis filiam pulcherrimam, superatis & cæsis duobus horridis serpentibus obtinuit. Norvagios subjicit. Haroldum profligavit. Sorlum Sveciæ Tyrannum occidit. Nec contentus tribus Regnis Aquilonibus, Britanniam invasit, & in potestatem suam redegit. Ausus præterea est & Carolo magno arma inferre. Indè ad orientem pergens, Græciæ & Hellesponti Regibus superatis, Biarmis & Finnis devictis, Orcadibus debellatis; longè lateque dominatus est. Tandem reflante Fortune ab Helle Britannorum Rege antea devicto; victus, captus & serpentibus devorandus objectus est. In quo antro Epicedion sibi ipse, quo totius vitæ suæ cursum comprehendit, composuit & cecinit

Thora.

K

Cui

Caput Tertium

Sylla.

Cui hujusmodi Epilogum fecit : Si succulæ
(tres filios suos intelligens) verris supplicium
scirent, haud dubie perruptâ horâ opem ferrent.

Non absimilis exitus fuit L. SYLLAE, qui
se Fortunatvm Syllam nominare solitus erat,
& à vermis corrosus interisse dicitur.

Ex tantâ copiâ recitavimus ea duntaxat, ad
institutum nostrum quæ facere videbantur ,
qvorum idem felicitatis cursus, ad extremum
usq; vitæ terminum nullo intercedente infor-
tunio,duravit: Sed finis mœroris & acerbitate
plenus, omne felicitatis & ^{euαuνiaσ} per-
fectum Gaudium impedivit. Monent igi-
tur hæc exempla, ut Fortunam reverenter ha-
beamus, & sapienter æstus ejus sustineamus.

Dum fueris felix quæ sunt adversa caveto

Non simili cursu respondent ultima primis.

Reliqvum est, ut & eos consideremus, qui vi-
ce versâ, ex infinitis per omnem vitam circum-
stantibus sibi periculis, & calamitatum mole-
stijs eluctati, extremam vitæ fabulam, lœtâ &
prosperâ catastrophe clauerunt.

I I.

Quos Fortuna toto vitæ tempore fatis iniquif-
simis vexârit ; extremo autem termi-
no benignè respexit.

De Fortuna

HOrum etsi in Historijs omnium temporum non pauca nobis suppeditantur exempla; brevitati tamen servientes, unicum ex multis annotabimus, quod & ipsum eadem Daniæ historia nobis in mentem revocavit.

Crudelis initio S V E N O Rex Daniæ Tyrannus erat: patrem habuit Haraldum R. tūm pietate tūm fortitudine insignem, religionem Christianam qvi in Daniam invexerat, & ob id à filio impio oppressus fuit: sed is impietatis suæ pœnas dedit justissimas; dum omnibus adversæ fortunæ tempestatibus objectus, undique ingruentium calamitatum mole obruitur: Quippè, cum Iulini Civitatis Pomeranix ea tempestate potentissimæ incolis, Daniam Piraticâ incessentibus, infeliciter & inauspicatò bellum gerens; ter ab his capitur, ter facta sibi redimendi potestate, tanto auri pondere, quanto semel; tanto argenti, qvanto bis corpus ejus penderet, solvitur. Prima summa ex fisco regio penditur, alteram vēditis saltibus & sylvis, ij, qvi pro salute Regiā proprios filios prædes dederant, persolverunt: tertiam, exhaustis regni opibus; aurum ma-

S V E N O.
Crancib.
4. cap: 22.
& dein-
ceps.

Caput tertium

Lib: 4.
Dani:
cap: 21.

tronæ, detractis aurum insignibus, cætero-
que cultu divendito, coegerunt: argentum
ut conficeret, ipse agros & latifundia mensæ
Regiae venire jussit: utque Rex redimeretur,
Regnum propè venijt. Libet hic ex Cran-
tio commemorare, quo astu Rex tertiam vice sit
captus. Classis utraqüe Danorum & Iuli-
nensium nixa anchoris, immota stabat in
mari ad Moen Insulam. Noctu vigiles Iuli-
nensium animadvertisunt vigiles hostiū som-
num cepisse. Capiunt igitur & hi non som-
num; sed consilium, quomodo circumveni-
ant hostem. Subornatur animosus & for-
tis quispiam, qui tenuit lingvam Danicam.
Hic rebus necessarijs instructus scapham cō-
scendit, & ad prætoriam Regis navem se con-
fert, Regem, quasi ministrorum ejus aut vi-
gilum unus, ipso nomine compellat, actu-
tum jubet adesse, rei gerendæ occasionem
pulcherrimam præberi; sed ipsius Regis dun-
taxat auribus committendam. Confiden-
tia hominis timorem omnem cunctis excus-
sit. Rex caput è navi porrigit: ille proprius
admovendum contendit, ne quis arcanum
præ-

De Fortuna

præsentiscat; Ingens enim subesse periculum. Regem itaque dum pectore tenuis prominet, Vandalus ambabus manibus subito & fortiter arreptum, attrahit in scapham, & quia potest maximâ festinatione lætus ad suos adducit. Attoniti Dani, primò præ stupore vocem edere nequeunt: mox clamores in utraque classe diversi, tristes & læti exoriuntur. Iulinenses sensim solvunt, vento secundo vela committunt, & Regem captivum secum abducunt. Vix liberatus in longè maiorem incidit calamitatem. Ab Etico enim Sveciæ Rege magna manu superatus, fusus, fugatus, & toto Regno exutus est. Profugus in Norvagiam ad Olaum R. à patre Haraldo olim restitutum, contendit. At is erga filium ingratus supplicem sprevit, & novâ calamitate auxit. Angliam petit: at Rex Eduardus, non tam exulem, quam speculatorum esse ratus, regno excedere jubet. Desperatio in Scotiam adegit, & ubi minima spes, tandem hospitio excipitur miser: Hic reputanti, quantâ dignitate excidisset, & in quas angustias redactus esset; subiit cogita-

Caput Tertium.

tio, hanc tantam calamitatem, non nisi di-
vinitus, ob spretam & contemptam ab se re-
ligionem Christianam, & impietatem in pa-
rentem pium commissam, provenisse. Pœ-
nitentia igitur scelerum acta, ad Christi fidem
convertitur. Quarè paullò post è rebus hu-
manis excedente Erico, SVEN o avitum re-
gnum recuperat: regnoque, operâ Popponis
Episcopi, ejusque insigni interveniente mi-
raculo (Chyrothecæ scilicet ferreæ cendentis,
qvam illæsus induit) religionem Christia-
nam restituit. Olaum Norvagiæ Regem
ingratum, multis artibus delusum, quæ ibi
copiosè commemorantur, & spe potiundæ
Sveciæ, Sveciæq; Reginæ, & suæ filiæ Thiræ, cu-
jus nuptias appetiverat, frustratum, SVENO
regno Norvagio toto exuit. Reginâ dein-
dè Sveciæ in matrimonium ductâ, trium re-
gnorum Aquilonis Dominus factus est.
Angliam hospitium exulanti denegantem, &
probris affidentem, sibi subjicit. Rex itaque
potentissimus factus, totum deinceps vitæ
tempus, curâ religionis singulari, pacis &
quietis studio, latus exegit: Ac vitæ sancti-
monia

De Fortuna.

monia, summisque virtutibus clarus, & charus omnibus, placidissima morte, vita satur, extinctus est.

I I I.

Quorum termini, initium & finis tristis,
lato intervallo medio.

Hanc vitæ fabulam peregit CYRVS potentissimus ille Persarum Monarcha. Qui in ipso vitæ exordio ab Astyage Medorum Rege avo materno, morti destinatus; exponitur, & in sylvam vastissimam abiicitur, canis uberibus lactatur, & à pastore educatur: agnitus, ex Media in Persidem extruditur. At excitata quæ hactenus dormisse videbatur fortunæ, tantæ eum benevolentia complexa est, ut ad summum totius orbis imperium cum evexerit, omnesque ejus conatus placidissimo exceperit itinere, & quocunque verteretur, planè materno fit prosecuta affectu; ita ut nulla Gens quam modo appeteret, aut nullum Regnum sive Imperium quod invaderet, contra eum subsistere potuerit. Medorum Imperium avo Astyagi demit, & Persis

Cyrus.

Herodo:
lib: 1.

Iustin:
lib: 1.

Caput tertium

Esa: 44.
& 45.

Iosephus
Theodo-
zetus.

sis tradidit. Labinitho novissimo Assyriorum Monarchæ, in sacris Balthasar dicto, bellum intulit felici successu: Captâ Babylone Monarchiam constituit Persicam, uti in prophetis de eo prædictum fuerat. Hinc divinarum scripturarum amator semper extitit, & assertor veræ religionis, quam à Daniele, quo familiarissimè utebatur, didicerat. Rursum verò à Fortuna desertus, contra Massagetas non necessarium bellum movet; frustrâ dehortante Croeso olim Lydorum Rege, nunc verò Cyri consiliario: Cujus sapientissimum sermonem ex Herodoto ascribere libet: *Si immortalis, inquit, tibi esse videris, E*o*iusmodi quoque exercitui præsse, nihil opus erit consilio. Sin hominem te esse agnoscis, hominibusque præsse, illud in primis discito talem humanarum rerum esse circum, qui rotatus, eosdem semper fortunatos esse non sinit. Cyrus imperandi libidine accensus, Croesi consilium respuit, & expeditione contrà Massagetas susceptâ, insigni eos primò circumvenit, Croeso monstrante, stratagemate. Mensis namque omnibus instructis, vino optimo & obsonio,*

De Fortuna.

sonio , fugam mentitur, relictis castris hosti
diripiendis. Inseqvens hostis , deprehensa
in castris commeatus vini , cuius erant inex-
pertici & obsoniorum copiâ, ijs affatim & lar-
giter fruuntur. Hos multo vino ciboque
obrutos & somno deditos , Cyrus alta nocte
adortus , trucidat . *Quo comperto, Tomy-*
ris Regina, Cyro jubet nunciari, ne propterea
exultet, & πινειον canat ante victoriam,
quia non armis sed astu , non gladio , sed tali
veneno , qvo ipsi quotidiè distenti desipiant,
*vicerit : qvin potius suum admittat consili-
um, & reddito filio in sua recedat, impunè la-
turus , qvod tertiam exercitus Massagetarum*
*trucidarit partem, nisi fecerit , se per solem ju-
rare, fore, ut eum, et si cruore insatiabilem, ta-
men satiet. Id qvod posteà factum est, eo-
dem artificio circumvento Cyro. Nam in*
congressu à Tomyride, ob acceptum vulnus
fugam simulante , ad augustias viarum suo
*militi notas, positis post tergum insidijs, elici-
tus Cyrus , unà cum toto agmine ad interne-
tionem deletus est, ita ut de ducentis milli-
bus , ne nuncius quidem tantæ stragis super-*

L stes

Caput tertium

stes manserit: Cyro caput amputatum, To-
myris in utrem humano sanguine repletum
conijci jubet, cum hac crudelitatis exprobra-
tione: *sanguinem sitijs tibi, sanguinem* bice.
Tantus Monarcha, qui viros Reges, & Regna
vicit, à fæmina cum tanto exercitu prostra-
tus: perpetuum ludibrii variantis Fortunæ
exemplum, toti mundo reliquit.

III.

*Quorum ex adverso Termini lati, in-
termedium triste.*

HOrum unum ex sacris, alterum ex pro-
phanis adducam; hac exemplorum inopiâ, in
tanta copia, qua abundat hæc materia brevi-
tatis causa contentus.

Iobvs.

Genesi: 36.

August:

Ambro-

sius.

Lutherus:

Hiob:;

Io b v s siue Iqbab, alter Edomitarum
Rex, cuius mentio fit in Genesi quemque A-
ristæus filium Elau fuisse testatur, initio fa-
ventis Fortunæ, seu verius providentiae divi-
næ afflatus prosperos expertus, omnes ævi
sui, ut sanctitate, sapientia & vita innocentia
superavit; ita dignitate & opibus florentissi-
mus fuit. Testatur enim ipsius historia,
quod balantium habuerit septem millia, Ca-
melo.

De Fortuna

melorum tria millia, boum juga quingenta,
asinas quingentas, copiosissimumque servitu-
um, septem insuper filijs & tribus filiabus fe-
lix. Sed haec omnia unus dies infausto omi-
ne uno impetu abstulit, & sanctum virum
divinæ providentiae nutu, ita denudavit, ut ex
tota jumentorum, pecorum, frugum substan-
tia, nihil retinuerit: nudus in favilla & cinere
sedens, orbus quoque numerosa & dulcissi-
ma prole, suam calamitatem, & charissimorū
pignorum, tristissimo faro, ruinā videlicet do-
mus, à vento vehementissimo eversæ, interi-
tum deploravit. Accessit ær umnarum cumu-
lo, fædissima tabes corporis, patrescentis di-
ra mendicitas, ut ex omnium nuper florentissi-
mo, miserrimus haberetur; sed quām precipiti
lapsu corruit, tam celeri recurso omnia quæ
amisit, recepit. Nam postquām patientia in-
signi Deum magis magisque sibi devinxisset:
conduplicato bonorum omnium numero,
& prorogatâ exinde in annos centum quadra-
ginta ætate; numerosam nepotum seriem, ad
quartam usque generationem vidit.

Sabellicus

Ex Prophanis videamus CROESVM poten-

L 2 tissi

Iob: VI:

CROESVS
Hero: lib. I

Caput tertium

Herod:
lib. 1.

tissimum Lydorum Regem, initio opibus & fortunis astatim affluentem, & ob id felicissimum omnium se esse putantem. Cum verò Cyrus, Medorum Imperium ad Persas transferentem, in se provocasset, & ab eo obfessus, victus, captus, unaque cum bis septem Lydorum nobilissimis pueris rogo impositus esset: omnium in toto orbe hominum se infelicissimum cognovit, & serò nimis Solonis: *nullum mortalium ante obitum beatum dici debere afferentis*, recordatur. Quo alta ter voce inclamato: Cyrus ignotum quendam Deum invocari existimans, misit qui rogarent, quis nam Deorum aut hominum is esset Solon, quem solum in dubijs casibus, & extrema hac necessitate imploraret. Croesus primò silentium quidem egit: ac de nudò interrogatus: *illum, inquit, nominavi, qui ut omnes Tyrannos alloqueretur optarim.* Sed non satis explicatè loquentem rursus interrogari iussit: *Quem Solonis nomine intelligat?* Croesus itaque nihil dissimulans, totam colloquij inter se & Solonem habitj historiam recitat. *Quâ Cyrus auditâ, Fortu-*

næ

De Fortuna.

hæ penes se inconstantiam considerat, seque
hominem esse, qvi alterum non inferiorem,
opibus, dignitate, potentia, rogo adjudicas-
set: *nihilq; humani ab se alienum esse perpen-*
dens: Crœsum ab incendio liberare con-
stituit. Sed Pyrâ jam vndique incensa, ita
flagravit ut restingui, nullis humanis viribus
potuerit, nisi cœlo nimbus fractus, imbre co-
pioso ignem extinxisset. Ita Crœsus presentis-
simo vitæ periculo, & regibus indigno sup-
plicio ereptus, vitæ postmodùm fabulam ul-
timam, placidissimè & quietè in aula Cyri ex-
egit, & ob sapientiam, & in dandis consilijs
dexteritatem, honorifice à Cyro habitus est.
Hanc itaque, ô Homo, Fortunæ inconstan-
tiam considera, nec decipiat te pulchritudo
eius, nec imponat blandissima arridentis fa-
cies. Quovis enim momento mutari po-
test, nec respondent eodem cursu ultima primis.

Rursus terga ubi Fors invida obverterit, &
duris undique te exercuerit fatis, noli te in
mœstiam atq; luctum abijcere muliebrem,
cogita hanc esse ejus naturam, hos perpetuos
mores, hoc ingenium. Tu si ad constanti-

L 3 am eam

Caput tertium

am eam revocare volueris, Sortem omnem
rebus humanis eximere tentabis. Nam si
manere incipit, sors esse desijt: Recte igitur
Boëtius:

*Rara si constat sua forma mundo
Si tantas variat vices:
Crede Fortunis hominum caducis
Bonis crede fugacibus.
Constat eternâ positumq; lege est.
Ut constet genitum nihil.*

Divina providentia, quæ consilio suo omnia
regit atque gubernat, fortunatum te, floren-
temque opibus, vxore felicem, prole beatum,
domo splendidâ ornatum, dignitate perspi-
cuum, amicis instructum, & undequaque se-
licem reddidit. Hæc eadem si adversâ For-
tunâ repetit, ejusdem providentiæ nutu fa-
ctum esse existimes. Fortunæ sunt hæc o-
mnia, quâ veniente veniunt, recedente rece-
dunt: non minus fluxa, perfida, insidiosa,
quâm ipsa Fortuna, numquam manendi fida.

Non igitur tibi eripiuntur quæ tua sunt.
universa enim illa, quæ possides bona, for-
tuita sunt, Fortunæq; imperio subjecta. Nu-
dum

De Fortuna.

dum te in nuda projectum humo, natura pro-
duxit. Fortuna suis ulnis te excepit, suis op-
ibus texit, vitæ præsidia administravit, te ma-
terno planè favore atque indulgentia fovit,
teque molliter educavit, & in hunc splendo-
rem atque lucem collocare dignata est. For-
tunæ igitur, vel potius providentiæ divinæ
hæc munera sunt. Quæ si manum retrahit,
ream agere eam, & accusare non poteris. Ne-
que enim spolium committit, suum qui repe-
tit. Quod si Geminarius pulcherrimum no-
bilissimumque monile sive ornamentum,
gemmae margaritisque artificiosissimè distin-
ctum atque exornatum, tibi utendum dedis-
set, Idemque post repeteret, tune propterea
illi succenseret, quod proprium repetit, ju-
dicioque cum illo contenderes? Haberes
potius gratias quod ageres, usus alienis orna-
mentis, non habes jus querelæ, alienum si
reddis. Cur igitur Deo litem moves, sorte
aduersa quod retrahit, secundâ quæ tribuit?

Non sic circò te moveant cæci numinis am-
bigui vultus, ut vel blandimentis ejus effera-
ris, cum in quieto te felicitatis portu constitu-
it, vel

Simile.

Caput tertium

it, vel animo contabescas, ingruentium malorum necessitate.

Horat:

*Si Fortuna juvat caveto tolli,
Si Fortuna tonat caveto mergi*

Et Seneca

*Nemo confidat nimium secundis
Nemo desperet meliora lapsis.*

I I I.

*Fortuna stabile & perenne Gaudium
neutriquam efficit.*

Quemadmodum Fortuna veram & perfectam Beatitudinem non gignit. Ita nec stabilem & perennē. Ipsa enim cum varijs mutationum vicibus sit obnoxia, nec maneat in ullo certa tenaxq; loco; satis constat stabile Gaudium neutriquam Fortunam producere, aut quicquam ad beatē vivendum facere.

Pingitur Fortuna, quasi rotē insistat, ut varijs & multiformes hujus prodigij vultus exprimantur: quod varijs mutationum vicibus obnoxium, instar rotæ indesinenter in orbem conver-

De Fortuna

convertitur, miscens infima summis & summa imis.

Præcipitem movet illa rotam, motusq; laborū
Nulla q; vies claudit, nec sistunt ocia motum
Hos premit, hos elevat, hos deicit, erigit illos,
Cogit & in varios homines descendere casus.

Icaque SESOSTRIS R. Aegypti felicissimus
& prudentissimus, qvatuor Reges captivos,
qvadrigas quibus vehebatur, cum agitare juf-
fisset, atque eorum qvidam crebro respiciens,
rotam se in circum vertentem consideraret;
Regi causam cur retrò respiceret sciscitanti,
respondet: se, cum rotam sursum deorsum-
que volvi cernat, vita humana & Fortunæ
inconstantiam considerare: In qva perpe-
tuò summa ad imum devolvuntur, ima ad
summum evehuntur: suam se quoque lor-
tem perpendere, Rex qvi modò potentissi-
mus fuerit, nunc instar pecudis, qvadrigas a-
gitare cogatur. His auditis, atque animo le-
cum paullò altius communem omnium ho-
minum sortem perpendens, Sesostris Reges à
servitute liberatos, honore deinceps plurimo
affecit.

SESO-
STRIS.
Nicepho-
rus.

M Cum

Caput tertium

PORVS.

Cum PORVS Indiæ Rex victus & captus
in Alexandri M. conspectum prodijisset, &
qvæsitus ab eo esset. Quid ipse victorem
de se statuere debere censeret? respondit:
*Quod hic dies tibi suadet, quo expertus es,
quam caduca felicitas esset.*

XERXES.

Idem ostendit colloquium XERXIS Per-
sarum Regis, cum Artabano in campis Abi-
denis: ubi lustratus exercitum, postqvam
in tumulum è candido lapide magnificen-
tissimè exstructum ascendisset, navale certa-
men ludicrum, in quo Sydonij victores extite-
runt, universumque Hellespontum navibus
suis constratum, omnia littora, atque Aby-
denorum plana, hominibus referta, prospe-
xisset: Beatum se prædicavit: moxque in
lachrymas solutus est. Artabanus assistens,
subita illius metamorphoseos causam inqui-
rit: Cui Rex, subiit animum, inquit, meum,
cogitatio, quam brevis esset omnium vita mor-
talium, quando ex tam numerosa hominum
multitudine, post annum centesimum nemo su-
perstes erit. Excipiens sermonem Artaba-
nus, atqui inquit, o Rex, nemo ex ijs omnibus

fuc-

De Fortuna.

fuerit, cui sapius in vita ea non contigerint,
quæ moriendi potius, quam vivendi desideri-
um in ipso excitârint.

O quam multos Artabane habes etiam
hodiè, tuæ sententiaz testes & astipulatores, nec
crebrior ulla vox aut votum inter mortales!

Idem ferè responsum dedit DEMOCRITVS
Dario lugenti carissimæ conjugis fatum, pu-
tantiq[ue] ipsius arte restitui posse. Iubet Re-
gem inquirere tres juvenes trigesimum ætatis
annum agentes, nec ullum unquam Fortunæ
ludibrium expertos: horum nomina chartæ
inscripta, conjugis cadaveri, ipso momento
vitam recepturo, imponere. Corrigere vir sa-
piens re impossibili, Regis, Philosophica arte
homines mortuos in vitam revocari posse
putantis, errorem studuit: eumque simul
de communi omnium hominum miseria,
de que fatorum impendentium vi, & fluctu-
antis Fortunæ mutabilitate commoneface-
re voluit.

Itaque Augustinus: Surgat nunc Adam
cum omnibus posteris suis, fateantur inge-
nuè omnes, num quisquam eorum unquam
fue-

DEMO-
CRITVS.

Cavat tertium

Psal. 4:
Prover: 11.
1. Petr: 4.
Actos: 14.

Psal: 10:

MOSES.

Num: 2.

rit, tam composita felicitatis, ut nihil acerbi si-
i contigerit in vita. Sacratissimi enim om-
nium qui unquam fuerunt homines, varijs
Fortunæ telis expositi fuerint, ejusque im-
petus fortiter sustinuerunt. Et quò Deo cha-
riores fuerunt, tanto pleniores flagellis. Mi-
rificat enim Dominus sanctos suos, deq; domo
Domini Iudicium. Et fortissimi Athletæ,
per varios casus, per multiplex tormentorum
genus, per tot discrimina rerum, hanc vitam
cum illa, quæ omnis vicissitudinis, omnis mi-
sericordia & calamitatis expers est, commutârunt.
Nefas tamen esse ducimus, illa quæ circa eos
acciderunt cœcæ Sorti, Fortunæque volumi-
nibus; non autem potius divinæ providen-
tiæ nutui ascribere. Scimus enim Sortes o-
mnium nostrum in manu Dei esse.

Quis omnium vñquam mortalium Mo-
se major? quis Deo charior? cui hominum
tam familiare contigit Numinis commerti-
um? Fidelior certè nemo repertus fuit in to-
ta domo Dei, ipso Iehovah teste. Quid
hōc homine felicius! qvid lætius, quid for-
tunatus esse meritò? nonne perpetuis ille
versari in Gaudijs, nec ullis Fortunæ injurijs

De Fortuna

obnoxius esse debebat? At diversum illi accidisse scriptura testatur: quod omnium in orbe hominum afflictissimus fuerit, quodque velut in procelloso mari, varijs turbibus tempestas eum exagitaverit. Antequam nascitur & vitali aura frui incipit, neci traditus & morti adjudicatus fuit. Natus exponitur, idque ab ipsa matre, quæ eum in lucem produxerat: In Nilum projicitur, Crocodilo cæterisque id flumen natantibus beluis præda: Fiscella scirpea tumbus. A filia tam Pharaonis receptus, Regiæ domus alumnus, in aula magnifice est educatus: Adolescens Regio exercitui Aegyptiacisque copijs, quibus Aethiopes magna strage vicit, Imperator præficitur. De eo sic scribit Sabellicus:

Post Aethiopicam victoriam, cum luctum & terrorem, qui Ægypto imminebat, in hostes Moses vertisset, aleretq; jam certam spem Regni, per successionem adipisciendi: repente sunt illi omnia mutata: perijset nisi fuga solum vertisset: estq; repente ex Duce exul factus, ex successore infestissimus: pavit proinde alienas oves dum in Troglodytide. Revisit de-

Lib: 78
cap: 8.

Caput tertium

mùm jacentem Fortuna: sed providentia ve-
rius dixerim: Qui nuper serviebat, ut par-
Regi obijcitur: qui uni Bathueli erat noius,
apud omnes omnibus fit gentibus illustris: E-
demùm, qui sua erat libertatis indigus, fit alic-
ne assertor. Usq; adeò vis hac (quæcunq; est)
omnia humana versat, letis tristia miscens, E-
lata tristibus, nulla re magis quam varietate
gaudens, E quæ non expectatur, ferè se inge-
rens.

Addit autem similia multa ibidem Sabel-
licus variantis Fortunæ exempla, de Iacobo,
Iobo, Davide, Ioade, Gregorio septimo, Sar-
ra, Columnio, Ludovvico, Sfortia, Servio
Tullio, Fustidio, Ventidio, Fulvio, Metello:
quæ qvia partim per se ex sacris nota sunt,
partim ex ipso autore cognosci possunt, bre-
vitati servientes consultò omittimus. Vni-
cum tamen ex illis de Metello ascribemus.

L. ME-
TELLVS:

L. METELLVS qui quindecim vir fuit, Ma-
gister eqvitum, bis consul, pontifex Max: pri-
mus Elephantos in Triumpho duxit: Huic
decem illa ornamenta affuerunt, quæ felicissi-
mo ciui, in felicissima ciuitate possunt contin-
gere:

De Fortuna.

gere: Fuit enim strenuus bellator: Orator
celebris: Imperator felicissimus: maximas
res suis auspicijs gessit: summis honoribus usus:
insigniter sapiens: senator ornatissimus: pe-
cuniam honestis rationibus quasiuit ingen-
tem: plures liberos reliquit: clarissimus fuit in
clarissima civitate. Caterum ne Fortuna
cum uno semper eadem esset; hunc felicitatis
cursum subito reflatu damnavit, privavitque
hominem luminibus, ne non his tantum, quae
in eum indulgenter contulerat bonis frui non
posset, sed etiam ut luce illa splendore in quo
vivebat privaretur. Quae eadem paribus
ferè verbis de eo à Plinio recensentur.

Neque hic Alexander M. neq; Iulius Cæ-
sar, nec Pompejus, nec Augustus, nec Caro-
lus M. Ottones, Henrici prætereundi essent:
Clarissima generis humani lumina, qui va-
ria Fortunæ volumina, variosque nunc no-
vercantis, nunc blandientis vultus, experti
sunt.

Inter omnes Avgvstvs, in summo &
augustissimo rerum humanarum fastigio
collocatus utriusque Sortis summa munera
varijs

Decem cr-
namenta
felicis civis

Avgv-
stvs.
Sabellicus
lib:7, cap:8

Caput tertium

varijs vicibus est expertus , ita ut utraque visa
sit circa eum , vel muneribus suis amplian-
dum , vel ijsdem exuendum , laborâsse . Au-
gustum certè Fortuna munus , quod nondum
natus viginti annos , consul fuit , idemq; Impe-
rator . Majoris avunculi cædis ultior ad sa-
rietatem . Gravissima bella ; Mutinense ,
Pharsalicum , Siculum , Perusinum , Ambra-
cium , Aegyptiacum , Cantabrium feliciter
confecit ; Ianum tertio clausit ; terrarum or-
bis regimen ad se receptum , ad extremum vi-
tae placidissime rexit . Et hac blandientis For-
tuna . Vcrum hac eadem tam sèpè interpo-
lata adversis casibus fuit : ut qui foris felicissi-
mus semper extiterit , domi afflictissimus esse
scribatur , Incertum sit , an ullus unquam
mortalium calamitosior . Commemorantur ,
tot repulsus , ad dignitates aspirantis , Proscri-
ptionis invidia , Collegium in Triumviratu
pessimorum Civium , maris bina sævitia , bis
amissæ classes , naufragia Sicula , uni imputata
Italia famæ , jnemicorum conjurations , Le-
gionum cædes , Pannoci bellî ruina è turri , tri-
duo in Palude latebra agrotantis , tot seditiones
mili-

Plinius
lib:7.ca.45

•V D Y A
•E V T E
•S P E C I E S
•H I L L E R
•B I G E L L E

De Fortuna.

militum, variata clades, majestatis ejus fœda
sugillatio. Et hæc publica. Domestica vero:
Inventutis penuria, varijs et ancipites in Cor-
pore morbi, aqua subter cutem fusa, turgida la-
tera, toties petita insidijs vita, incusata libero-
rum mortes, luctusq; non tantum orbitate tri-
stes, consilia parricida palam facta, contume-
liosus privigni Neronis secessus, abdicatio post-
humus Agrippæ post adoptionem, desiderium
post relegationem, & quod ipsa morte tristius,
tot filie & neptis publicata adulteria, innume-
raque alia felicitatis & infelicitatis argumen-
ta, nihil in omni vita tam augustum esse &
magnificum ostendentia, qvod innumeris
non contaminetur malis. Rectè igitur Ovi-
dius:

Paxibus ambiguis Fortuna volubilis errat

Et manet in nullo certa tenaxq; loco

Sed modo leta manet, vultus modo sumit acer-

Et tantum constans in levitate sua est (bos

Sed cedant Etnica sacris. Nonne Davidis

& Salomonis Historiæ idem testantur?

*Quis Davide sanctior? quis Salomone sa-
pientior? Qui unquam Reges pluribus opi-*

N bus

DAVID:

Capit. tertium

bus beatores? victorijs clariores, dignitati-
bus auctiores, fortitudine & rebus gestis, illu-
strieres foris : At domi calamitatum nec
finis nec modus. Nulla unquam Davidis
domo pluribus sugillata est probris. Cujus
age dissimuletur juventa, innumeris periculis
obnoxia: nonne mutuis liberorum simul-
tatibus, stupris, cædibus, sancta domus pol-
luta, toti regno scandalum fuit, & sanctissimo
patri ignominiam non parvam peperit. Quid
adulterium parricidio auctum, domesticum
bellum, contentiones de summa rerum, exi-
lium, læsam conjugum in propatulo pudici-
tiam, voces lamentabiles, conjecta in miser-
rum regem ab impuris calonibus convitia,
dictoria, scommata, commemorem? Quod
si his Salomonis prævaricationem & regni
scissionem adderem, nimis extenderetur ora-
tio, cuius brevitas nobis cordi est. Et quo-
niam nulla in re pluribus abundamus exem-
plis, unum adhuc colophonis loco addam;
insigne mutabilitatis & vicissitudinis rerum
humanarum documentum.

IUSTINIANVS secundus Constantino-
poli

De Fortuna.

poli imperans, Leontium patritium hostem
habuit, à quo captus, imperio & naso simul
privatus, ac Chersonam in exilium missus
est. Leontium Tyberius triennio post ca-
pit, naso itidem mutilat & in carcerem con-
ijcit. Occupato hoc modo Imperio, Ty-
berius suspicionum plenus, Philippicum Bar-
danium nobilem adolescentem, ob somni-
um, qvo Aquilam capiti suo residere Phi-
lippicus viderat, Chersonam ad Iustinia-
num ablegat, & Iustinianum è medio tolle-
re constituit; at is ad Chaganum Turcarum
Imperatorem confugit, per qvem ducta in
conjugium sorore, Imperium recuperat, fu-
gato, capto, & occiso Tyberio. Leontium
in Carcere inventum, à quo Imperio & naso
mutilatus erat, multis rursus tormentis ma-
lè mulctavit. Verum cum eodem modo &
Philippicum, ex simili, quo Tyberius suspici-
one tollere & Chersonam evertere statuisset:
huc profectus, à Philippico & Chersonensi-
bus victus, & una cum filio è fuga retractus se-
curi percussus est. Philippicus ex exula Im-

N 2 pera-

Caput tertium

perator, præter omnem spem subitò factus,
paulò pòst ab Anastasio proditus, lumina
cum Imperio amisit: veritatem somnij sui
unà cum fatali ejusdem malitia expertus.
Quid igitur verius qvam quod Poëta cecinit:

Ludit in humanis divina potentia rebus

Et certam præsens vix habet hora fidem,
Tu quoq; fac timeas, & qua tibi lata videntur
Dum loqueris, fieri tristia posse puta.

O misera humanorum conditio bonorum!

O ærumnosam Regum conditionem! An
non Demetrium Nicanorem legimus, non
minus quater Regno pulsum, ter restitutum:
Tandem etiam à conjugè Cleopatra deser-
tum, consilij omnis inopem, Tyrum navi-
gasse, templi ut religione se tueretur, sed ta-
men ibidem interfectus est.

Et ut tandem receptui canamus, &
quod tot exemplis oculis subjecimus, com-
pendio dicamus; Omnes omnium &atum
historiæ testantur, & varia esse Fortuna vo-
lumina perpetuasq; vices, & perfectum per-
enneq; Gaudium rebus fortuitis nunquam in-
esse.

Ovid:4.
Pon:3.

NICA-
NOR.

I. Macha-
eo. & II.

De Fortuna

esse. Nemo igitur nisi mentis judicio desitutus, nec insidiantibus Fortuna blandimentis credat, nec formidandas ducat ejus esse minas. Talis est cum blanditur, talis cum irascitur. Servat semper propriam in ipsa sui mutabilitate constantiam.

Proinde ad utramque te Fortunam para-
& ut vicem impleas, tu quoque propriam vir-
tutis in ipsa Fortunæ mutabilitate serva con-
stantiam, ut instar Tetragnosi in utraq; Fortu-
na more sapientum immotus consistas.

Rebus angustis animosus atq;
Fortis appare: sapienter idem
Contrahas vento nimium secundo
Turgida vela.

Itaque Seneca: Nunquam ego Fortuna cre-
didi: qua cum mecum videretur pacem age-
re: omnia quaecunque in me indulgentissime
conferebat; pecuniam, honores, gratiam, eo
loco posui, unde posset, sine meo motu repetere:
Intervallo magnum inter me & ipsam habui.
Itaq; nec illa abstulit, nec evulsit. Neminem
adversa Fortuna comminuit, nisi quem secun-
da decepit. Fortuna fortis metuit, ignoros

Boetius.

Aristo: I.
Ethi:

Horat:

Lib: de
Cont:
Hel:

Caput tertium

expavit: opes auferre potest, animam autem
subripere non potest.

Egregie quidem Ethnicus: at multo lu-
culentius sanctus ille Iobus, memorabili pa-
tientia & constantia exemplo: dum im-
menso calamitatum cumulo, fœdissima cor-
poris tabes, putrescentis dira mendicitas,
& conjugis insuper conviantis intemperies
accederet, inquit: *Dominus dedit, Domi-
nus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*
Et Regius Propheta in omni Fortuna infra-
ctum animi robur tenens: *Si modo te habe-
am, &c.*: inquit.

Etsi autem intolerabili dolore confundit,
qvos Fortuna insperatò relinquit: & omnis
subita rerum mutatio, non sine gravi qvo-
dam conflictu contingit animorum: adeoq;
in omni adversitate Fortune infelicissimum
infortunij genus est, fuisse felicem, ut dicebat
Boëtius: *Si tamen naturam rerum fortui-*
tarum altius perpenderis ô homo: non mi-
nus formidandas Fortune esse injurias seu
aversos vultus, quam magnoperè curandum
cœci numinis favorem intelliges. Nam
si præ-

De Fortuna

si præsentia eius nihil est, nisi futuræ calamitatis indictum; absentia non nisi insidiarum securitas: quis unquam tam erit à recto statu mentis dimotus, aut ab omni sensu alienus, ut fidem præsenti habeat sorti, cuius perspectam habet mobilitatem, notam Indolem, nullo loco durabilem: aut non potius latetur, ubi recessisse eam cognoverit; ut potest ab omni formidine insidiarum ejus liberatus, & in hunc securitatis portum constitutus, ubi animo ab omni perturbatione va-
cuo frui potest.

Quisquis igitur tutam vitam agere volet,
quam plurimum poterit Fortuna beneficia
derit, in quibus miserrimè falluntur spem
suam quicunq; in eis colloquatam habent.

Quin potius cum res secundæ tibi sunt maximè
Mediteris tecum quo pacto aduersam Fortu-
nam feras.

Terenti

In primis autem in omni Fortuna immo-
tum hoc omnis consolationis Fundamen-
tum firmiter tene: nihil tibi absque provi-
dentiæ divinæ nutu, in cuius manu omnes for-
tes nostræ posita sunt, accidere posse, qua etiam
capilli

P salm 30.

Caput tertium

Boetius.

capilli capitis nostri omnes numerati sunt,
cujus munere multò nobis majora contige-
runt Bona, quam hæc fortuita sunt & cadu-
ca: Cogitemus nihil in toto mundo nobis
ipsis præstantius esse: nos ipsi nobis cipi
non possumus: neq; quicquam eorum quæ
nostra sunt auferri à nobis possunt: Itaq;
nihil miserum, nisi cum putes: Beataq; Sors
omnis est & quanimitate tolerantis.

Ex his omnibus quæ hæc tenus diximus
satis liquido constat, nihil Fortunam homini
ad beatè vivendum conferre: nec verum &
sincerum, perfectum & stabile Gaudium,
Fortunæ bonis incesse: nec illud suis alum-
nis, qvos ut proprias fovet delicias Fortu-
nam administrare. Sed verissimè dici:

**Vanitas vanitatum & omnia
vanitas.**



CAPVT

De Divitijs.

CAPVT QVARTVM.

*AN DIVITIÆ ALIQUID
veræ Beatitudinis, veri perfectiæ
Gaudij afferant.*

Ortunam hactenus ipsam vidimus, nullâ verâ perfectâque beatitudine & lætitia affidentem; sed quæ meris tristitiae & calamitatum labyrinthis miseris mortales involvat. Nunc Fortunæ munera inqviremus, & quid veræ Beatitudinis perfectique Gaudij singulis insit perscrutabimur. Et primùm quidem videbimus de divitijs, immoderatoque cumulandorum opum studio, quo occupatas hominum mentes, hodiè ferè omnium videmus, eosque nihil magis in votis habere, ac nulli rei plus operæ, studij, & curarum impendere; qvàm conficiendæ pecuniæ, & augendæ rei familiari: ut hoc modo contra omnem fortunæ injuriam, nummis probe muniti, contra vim necessitatis, rebus necessarijs instructi, contra inopiam opibus firmi; semper habeant in promptu, quæ usus quotidianus postulat,

O quove

Caput Quartum

Psalm:39.

• 144.

Sic Job:21.

Dives.

Luc:12.

quove se contra paupertatis onus gravissimum tueantur, & undē toga niteat. Quibus maximo labore, curis & periculis adeptis, beatos se & felices esse existimant. Hinc tantos ducere spiritus, se reliquis præferre omnibus, se solos homines esse arbitrari, fæces reliqvos & inutilia terræ pondera. Itaq; in multitudine divitiarum suarum gloriantur inquit Psaltes, Et vanitatem locutum est os eorum: Ut nimirum liberi nostri, sicut plantulae crescentes, in juventute suâ, filii nostræ sicut anguli adium perpoliti, ad similitudinem templi: Promtuaria nostra plena, redundatia de victu ad victum: Beatum dixeré populum cui hæc sunt.

Eodem planè modo, Dives in Lucâ ja-
ctat divitem agrorum suorum proventum,
copiosamque segetis ubertatem, & sollicitis
digitis rationem secum init, colocandarum
opum, utendiisque rebus præsentibus: de-
structurum se pollicetur horrea antiqua, rur-
sumque nova & ampliora ædificaturum: de-
nique dicturum animæ suæ; Lætare anima
mea, & deme supercilie nubem: sufficit tibi
copio-

De Divitijs.

copiosus commeatus in multos deinceps annos. Atqui ô stulte, inquit divina responsio: *bac nocte repetent à te animam tuam, C cuius erunt quæ tam anxiæ comparasii.*

Cum Ezechias Rex Iudeorum, alias pius Deoque charissimus, prolapsus esset in eam superbiam, ut divitias suas omnes, cunctosque Regni thesauros, stulta ambitione, Babylonij R. legatis ostentaret: Ita hæc res Iovem offendit, ut per Esaiam ei minatus sit fore, ut Thesauri isti omnes Babylonem transferantur.

CRESVS quoque Lydorum R. stulta & ambitiosa opum suarum ostentatione, non solum quod affectabat; ut nimirum felicissimus omnium proclameretur, apud Solonem non obtinuit: Sed repente omnium infelicissimus redditus est; postquam Regnum unum cum opibus omnibus Cyro cedere coegeretur.

Sed ne divitijs bellum huc intulisse videamus: aperte fatemur; egregia illa divinæ clementiæ & bonitatis dona esse, hominibus ad usum hujus vitæ concessa; quæ dilectis suis

O 2 etiam

Ezechi-

as.

4. Reg: 20.

Ela: 38.

2. Par. 34.

Cræsus.

Herod:

lib: 1.

Psal: 127:

Prov: 20.

Caput Quartum

etiam somniantibus divina largitur benignitas. Benedictionem quoque Dei divites facere unam cum sapientissimo pariter ac ditissimo Rege Salomonem restamur; Cujus ex divina clementia, tantæ fuerunt, tamque immenses opes, ut si Budei hominis longè doctissimi eruditissimis supputationibus, ex Eusebium apud Eusebium lib. 9. de præparat: Evangelicā prolatis, fidem habemus; aurum quod in Templo, columnis, & vasis duntaxat fuit consumptum, valuerit ducenties nonages septies centenis, & sexaginta aureorum coronatorum millibus, id est, trecentis tonnis, ut vulgo dicimus auri. Quod si his annumeraveris dena talenta, mercedem operarijs 183600 datam, colliges summam 39022000 aureorum coronatorum, quæ faciunt quadringentas amplius tonnas auri: opificum sumtibus cibarijs, viginti annorum non computatis: nec pretio, quo lapides, quo ligna, quo argentum, stannum & æs comparata sunt, æstimato. Singula enim si computata fuissent, quo evasuram operis æstimationem puramus? Nam & viginti civitates

; Reg: 5.

De Divitijs

vitates in Galilæa, Salomonem Tyri regi,
pro præstítâ in ædificatione operâ dedisse, sa-
cræ literæ testantur: Insuper etiam colum-
nam auream, quam Tyri in Templo Iovis
conspectam esse, Eupolemus testatur. Nec
mirum, cum hic tantus Rex, congestas ex
omnibus ferè totius orbis partibus opes pos-
sederit, & redditus habuerit annuos 5128200
coronatos, præter eam summam quam Le-
gati diversarum gentium, negotiatores, Re-
gesque Arabiae & Satrapæ terrarum, apporta-
runt: Quibus tertio quoquo anno navis
ex Ophir rediens, auri pretiosissimi addidit
quadrinventa quinquaginta talenta: seu
3465000 coronatos. Fuitque tanta auri ar-
gentique vis in Thesauris Salomonis, ut dum
eam describere sacræ literæ non potuerint, hac
utantur Hyperbole: Non erat argentum ali-
cujus pretij in diebus Salomonis: fecitq; Sa-
lonon, ut tanta esset argenti abundantia in le-
rusalem, quanta lapidum: & non minus di-
vitijs, quam sapientiâ magnificatum esse Salo-
monem super omnes reges terræ, illæ ipsæ sa-
cræ testantur literæ.

O 3

Sed

; Reg: 10.
Iose: lib. 8.
Bud: lib:
4. in fine
mihi sol.
375.

2. Para: 9.
2. Para: 8.

; Reg: 10.

Caput Quartum

David.

1. Reg. 6.

2. Para: 22.

2. Para: 29.

Sed cum quarto Regni anno templi ædificationem cœperit: tantasque opes tribus annis colligere non potuerit, plurimas à patre relictas fuisse apparer. Quem ad filium paullò ante obitum, sic loqventem scriptura introducit: Quòd in paupertatulâ suâ col
legerit auri talenta centum millia, argen
ti mille talentum millia, id est, decies centena
millia talentorum. Quæ tantundem valent
quam aurum. Eruntque opes Davidis quæ
in templi ædificationem impendit, vicies cen
tena millia argenti talenta: vel quod idem
est, bis centum millia talentorum auri, quæ
efficiunt secundum Babylonicum talenti va
lorem, vicies quater centies centena millia co
ronatorum. Minimâ autem computatio
ne ut talentum idem quod Siclus sit, addita
que octo talentorum auri millia, ex Ophir
quæ magna fuerunt, cum stateris seu Siclis de
cem millibus, & argenti talenta septendecim
millia, (quæ David ex peculio suo superiori
summæ, unâ cum principibus adjecit) erit to
ta summa impensi Davidici: Octies centi
es & septuagies novies centena millia corona
torum

De Divitijs.

torum: Maximâ autem computatione, ut tota Hæbraicis talentis computetur summa; emergit numerus centies & sexagies bis centies, & septuagies centena millia coronatorum, qua summa fide in vix videtur habitura, hominum quidem sensu, nisi quis eam divinarum scripturarum autoritati tribuat, inquit Budeus.

Tantæ cum fuerint prischorum Regum opes, non mirum est, illa secula, aurea dicta sunt, sub Saturno nimirum: qui cum regnaret in Italia, vix ducentis annis Davidem antecessit: nec miremur Salomonem monumento patrio tantam auri copiam condidisse, ut, Hircanus post mille & trecentos annos, uno loculo recluso, tria talentorum auri millia repererit, & Herodes quoq; ingentem auri vim ex eo monumento abstulerit.

Saturnus.

Iosephus.
lib:7.an-
tiq:cap:
ult.

Persarū
opes.

Decies majores fuerunt hæ opes Davidis, Persarum opibus: Quarum summa fuerit centum & octuaginta millia talentū. Darij temporibus, in eas delicias prolapsos fuisse Persarum Reges historiæ testantur, ut ad caput cubilis Regij conclave constructum fuerit, in

Caput Quartum

Cervi-
cal Re-
gū Per-
fīcorum

Scam-
nū sup-
pedane-
um Re-
gū Per-
fīcorum

Compe-
des au-
rei.

Erūt, in quo semper essent condita talenta auri
q̄vinque millia: & hoc Cervical regium ap-
pellatum. Ad pedes aliud conclave excitatum
erat, in quo tria millia argenti talenta semper
recondita fuere. Idque Scamnum s̄ippeda-
neum regis dictum. In ipso autem cubi-
culo Regio vitem auream gemmis pretiosis
simis locupletatam, & instar pergulae, Regio
cubili obtensam, racemos protulisse lapillis
pretiosissimis distinctos. Nec procul ab
ea collocatum craterem aureum, Theodori
Samij opificio nobilem: q̄vinque millia au-
ri talentū, non minus millibus q̄vinqua-
ginta argenti valuisse, quæ trecenties centenis
millibus coronatorum estimantur. Tanti
ter sarum Reges cervicem suam inclinandam
esse censuerunt, *Sin primis Darius ille, quem*
tertio jam prælio, atq; etiam bello victum ami-
corum juratissimi aureis compedibus vincitum,
cum aliquandiu traxissent, ad extremum e-
quum ascendere negantem, nefario scelere
trucidarunt: Hoc sibi Fortunā ludibrium
extremum, ex tantā superbiā comparante, ut
quitanti caput suum recumbere, Opedes sub-
niti

De Divitijs.

nisi voluerit, tanti etiam manibus pedibusq;
vinciretur. Sic fert humana conditio, ut
cum fastigium suum longè supergressa sit, con-
cidat. Quod utinam Reges satis animad-
verterent animadversumque meminissent.

SARDANAPALI Assyriorum Regis no-
vissimi, ingentes fuisse opes, memoria pro-
ditum est. Quas cum Arbaci Medo obli-
denti se invidisset; incensa Pyra, qva se unâ
cum vxore & pellicibus auroque omni, cu-
jus summa ad centies centena millia, & deci-
es tantundem argenti supputata est, condi-
disset, vulcano consecravit.

Quantam auri vim possederit ALEXAN-
DER M. qui omnes Persicas opes suis adjun-
xerat, exprimit Hermolaus in Invectiva sua,
notans avaritiam ejus: Quod triginta mu-
lorum millia non suffecerint portandis the-
sauris ipsius.

Ita Cromerus testatur, Iohannem Mu-
schoviae Ducem Anno 1470 occupatâ No-
vogardiâ, ex Archi Episcopi ærario, trecentis
curribus aurum duntaxat argentum & gem-

P mas

Affyri-
orum
opes.

A L E -
XAND.M.
opes.

Curtius
lib: 8.

Moschi
opes.

Capitulum Quartum

Turcici
Imperij
opes.

mas evexisse, reliquam qui suppellectilem a-
sportarent innumerabilibus.

De Turcici Imperij proventu solidi, scri-
bit Iovius in vita Soliman: quod æquet sum-
mam sexagies centenorum millium aureo-
rum quotannis, ex quibus Imperator ad con-
stituendum Imperium, expendat singulis an-
nis, quinque & quadragies centena millia.
Belli tempore & quavis vel minimâ censu
summâ, innumerabiles pecunias corradere,
adè ut, qvod ad ærarium, in bellis plus lucre-
tur quam effundat. Præterea plus Gemma-
rum & Thesaurorum solum possidere censem,
quam cæteros omnes in orbe principes simul
possideant.

Divitias atq[ue] opes immensas ad beatè viven-
dum, Verum Gaudium ni-
hil conferre.

Vt autem Mundus his vanitatibus,
acquirendisque pecunijs, & cumulan-
dis opibus studium omne operamque im-
pendat; Veram tamen minimeque fucatam
Divi-

De Divitijs.

Divitias non parere Beatitudinem, nec vero gaudio hominum animos afficere his rationibus ostendemus.

Nam ea est natura, hæc Divitarum proprietas, ut amore sui dementatas hominum mentes, & falsi oblectatione boni, quasi fascinatas occupatasque detineant, & à vero Bono, æternoque numine seductas separatasq; in sui cultu & amore pertinacissime retinent; ac perpetuis avaritiae, Idolatriæ, perjurij, immanitatis, aliorumque vitiorum, & malorum omnium, veluti Cathenis & casibus irretitas obstringant. Vnde fit, ut dum numinis loco homines divitias suas habent atque colunt, verum numen ejusque amorem & cultum, cordibus suis excutiant, propulsentque. Hinc mentes hominum vero bono destituta, in extremum quodvis periculum, & malorum omnium lernam præcipitantur: teste Apostolo qui affirmat, eos qui ditescere volunt incidere in temptationem laqueum Diaboli & cupiditates stultas & noxias, qua demergunt homines in exitium interitum. Pulchre Apostolus causam &

I.
Divitiae
hominum
mentes a
Deo avul-
fas ad om-
nia vitia-
rum gene-
ra inclinat

i. Timo. 6

Pz effe-

Caput Quartum

Lucæ 8.
Cap: 11.

Matth:6.

effectum connectens ulterius inquit. Siquidem radix malorum omnium est φιλαγγυρία seu studium conficienda pecunia. Quam quidam dum appetunt, aberraverunt à fide, & seipso implicuerunt doloribus multis. Vero siquidem amissio bono, quid aliud, nisi malorum omnium cumulus seqvitur. Nec fruges horum hominum ad maturitatem per venire, studium pecuniae sinit; sed spinis sollicitudinum & voluptatum hujus mundi suffocatae, marcescunt & intereunt, inquit filius Dei. Et Syra: Qui amat pecuniam non erit sine peccato, & qui quarit caduca ipse quoq; interibit.

Quod si quis opinetur, posse se simul opibus colligendis animum adhibere, & nihilominus divinis rebus vacare, simul Deo, & Mammonæ inservire, cultum Deo debitum præstare, & corradendis opibus nihilominus intentum esse: hanc stultam omnium ferè hominum jmaginationem, jam dudum Filius Dei detestatus est, & expresè docuit: Impossibile esse utriusque Numinis cultum & amorem simul in uno pectore consistere posse, aut

De Divitijs.

se, aut enim Deo serviendum aut Mammo-
næ. Nemo potest Dominis pariter servire duo-
bus. Quod & Ethnici saniores intellexerunt.
Nam ANAXAGORAS neminem simul & vir-
tutes & divitias possidere posse ostendit: & ob
id CRATETES Thebanus aurum omne quod
patrimonio habebat in mare demersit: *Vos,*
inquiens, *mergi quam mergere præstat.* Re-
ctius autem sancti Dei homines, qui, ut est
in historia Ecclesiastica, bona sua pauperibus
erogarunt, ne sibi essent ad pietatem impedi-
mento. Noverunt enim scriptum esse. *Qui*
aurum diligit non justificabitur, id est, absque
peccato non erit: Multi dati sunt in auro
casus & facta est in spetie ipsius perditio illo-
rum. Lignum offensionis est aurum: Vae
illis qui sectantur illud, & omnis imprudens
deperiet in illo.

ANAXA-
GORAS.
CRATE-
TES The-
banus
Socrates.

Syra:cap:3

Omnium rectissimè autem faciunt, qui
cum ex benedictione divina possideant me-
diocres opes, eis tamen ita utuntur, ne cor-
appontant, neve illis sint irritamenta malo-
rum, sed Domini suarum facultatum ma-
nentes non servi, fontes suos foras deriyari pa-

Pro:3:cap:

P. 3: tiun.

Caput Quartum

Capit: iii.

tiuntur. De his inquit Syracides: Beatus
Dives qui inventus est sine macula, & qui
post aurum non abiit, nec speravit in pe-
cunia & Thesauris. Sed addit, quis est
hic? & laudabimus eum: Fecit enim mirabi-
lia in vita sua. Qui probatus est in illo, &
perfectus inventus est, & erit illi Gloria ater-
na: qui potuit transgredi, & non est trans-
gressus, & facere mala & non fecit. Cer-
tum est enim divitias possessoribus magnam
peccandi occasionem præbere, magnoque
esse ad salutem impedimento; opes Domi-
num in fœdissima flagitia & peccata præcipi-
tes agunt. Adeoq; magnum est, ut ait Sene-
ca divitiarum contubernio non corrumpi, &
affluentibus divitijs vitiorum fomitibus, ani-
mum servare inconcussum. Opulent, tenu-
ioris fortunæ homines, quasi ex alto despici-
unt, premunt, exugunt. Magna profecto
impietas est, alienis bonis inhiare, alieno in-
commode ditescere. Divites plerique quid-
vis sibi licere putant, multis erroribus, fœdis
libidinibus, impuris carnis operibus, inqui-
nantur, conscientijs vulnera infligunt, & inte-
ritum

De Divitijs.

ritum sibi accersunt, quæ ut pauperes non perpetrent, egestas non sinit. Vnde filius Dei: Difficile est, inquit, divites intrare in regnum cœlorum.

Mammon Deus cœcus pingitur, quod cœcos plerunque efficit, qvos imperio suo subiectos, vesanâ auri cupiditate accedit. Hac excœcatus animus & præoccupatus colligendarum opum studio, in magna amplaq; fortunæ levitate cœcutit, & vitam degit cœcis Ethnicis pejorem: alienus est ab omni pietate in Deum, charitate & commiseratione in egenum; neque Deum, neque proximum, neque seipsum agnoscit & considerat. Itaque injurius in omnes, vel à mortuo tributum exigeret: Dolium inexpleibile, nulla pietatis, Iustitiae & æqvitatis habita ratione; lucrum pudori anteponit, & ex qualibet re odorem lucribonū efficit. Optatq; funditus interire omnes homines, ipse solus ut ditescat, & veluti numen quoddam cœlo delapsum, ab omnibus adoretur.

Neque tamen, quod pollicentur, Divitem divitiæ quenquam faciunt: Imò contrâ nulli

2.
In Aristophanis Conædia.

Divitiae excœcant homines

3.
Divitiæ neminem

Caput Quartum

dictionem
reddunt.

nulli non majorem sui cupiditatem incutient, eosque tanto magis inopes & sui indigentes efficiunt, qvò majori pecuniarum auctu felices sunt. *Vt cum possideant plurima plura petant. Et quò plus sint pot& plus sitiantur aquæ. Sicut Sapiens inquit: Avarus non implebitur pecunia.* Docet experientia inexplibilem hominum aviditatem nulla bonorum myrmeria, aut pecuniæ grandine, opumue copia vel abundantia, expleri posse, sed crescere semper & augeri copiâ. Itaque qvem furor ille exitialis habendi exagit, nunquam dives est in medijs opibus; sed medijs in fontibus arens, instar Tantali apud inferos, in magna cibi potusque abundantia, perpetua fame & siti torquebitur, & in magna copia summa inopia erit. Rectè namque Seneca: *Congeratur in te, qvicquid omnes locupletes possederunt. Ultrâ privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro tegat, purpura vestiat, & cõ delitarum opumq; perducat, ut terram marmoribus abscondas, & non tantum habere tibi liccat, sed calcare diuitias.* Accedunt statua & picturae, & quicquid illun-

De Divitijs.

quid ars ulla luxuria elaboravit, majora expe-
tere ab his disces: Id quod Boëtius sic reddidit:

In quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas.

Aut quot stelliferis edita noctibus
Cælo sydera fulgent:

Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu.

Humanum miseris haud ideo genus
Cessat flere querelas.

Quamuis vota libens excipiat Deus,
Multi prodigis auri:

Et claris avidos ornat honoribus,
Nil jam parta videntur.

Sed quæsita vorans sæva rapacitas,
Alios pandit hiatus.

Rectè quoque Cicero e gentem dicit esse eum,
qui non satis habet, Ecui nihil satis esse potest,
qui semper congesto pauper in auro est, Enter
opes mendicus opum, inopem aget miserabi-
lemq; vitam.

Quis dives? qui nil cupiat. Quis paup? avarus.

Itaque nec Alexandro M. totus sufficiebat
orbis; nec M. Crasso, quamvis esset ditissimus;

Q tantum-

Lib: 2.
Cons:Phi:

Caput Quartum

tantumq; agri possideret, quantum nec mil-
vus, ut inquit ille, oberret, Roma & Italia:
quin animum ad aggrediendos Parthos (qua-
rum opes sivebat) converteret, à quibus ta-
men victus, immodicæ libidinis dedit pœnas.
Avarus miseria causa est sua,
Avarus nisi cum moritur recte facit,
Avaro quid mali optes, ni ut vivat diu,
In nullum avarus bonus, in se pessimus.
In opia pauca desunt; avaritia omnia habet.
Iam deest avaro quod habet, quam quod non
Et ut Hydropici, quanto magis sicut biben-
do restinguere laborant, tanto majore biben-
di ardore torquentur: Ita qui semel animum
corradendis opibus applicuit, quemve hæc
Erynnis cumulandarum opum vexare ince-
pit, hujus nunquam animus exsaturabitur,
cresceréque unâ cum pecunia pecuniæ amor,
totumq; exhausterit Hermum, ardebit majore
siti, uti Claudio de Russino. Divites igi-
tur non ex bonorum affluentium copiâ asti-
mari debent, sed divites sunt quibus bonorum
suppetit usus, *¶* animo sunt sua sorte conten-
to, lato & alacri, & ab omni anxia reum
paran-

De Divitijs.

parandarum cura alieno. Id quod ingens lucrum est inquit Apostolus. Hęc cum omnia vera sint, appetit vitam beatam verumque Gaudium opes hujus mundi non efficere; sed qui miserabilem agere vitam & viventes mortuos esse, ut olim Manilius cecinit:

Victuros agimus semper, nec vivimus unquam,
Pauperiorę bonis quisq; est, qui plura requirit,
Nec quod habet numerat: tantum quod non
habet, optat.

I I.

Nulla in acquirendis divitijs perfecta
beatitudo & latitia.

VT vitam beatam & latitiam, momentatanea hęc Fortunę bona non conferunt: Ita nec perfectam. Sive enim acquirantur, sive possideantur, sive etiam amittantur, hujus seculi bona, semper habebunt, beatam vitam & latitiam, quod contaminet. Acquiruntur enim divitię magno labore, indefesso studio, tristijactura nobilissimi temporis; denique summo vita periculo, famę ləsione, &

Q 2

animę

i. Acquisitio plena laboris, in justicie, Tyranni-

Caput Quarum

pis & uiti-
rum omni-
um.

MARGA-
RETA.
Norwe-
giæ Reg:
Ioh: Mag:
lib: 21.
cap: 19.

LICINIVS

ANTONI-
VS Mace-
donicus.

Cap: 13:

animæ interitu. Etenim acqvirendis bonis
& opibus nulli labori & studio parcitur: Hic
sele exerceat humani vis ingenij, hūc omnes
nervi sapientiæ & industriæ hominis inten-
duntur, mille acquirendi modi excogitantur
augenturque indies. Reges, Principes, No-
biles, Magistratus non pauci, à subditis ex-
torquendæ pecuniæ, nullum non exactiois
aut æruscationis genus excogitant: Quem-
admodum olim M A R G A R E T A Norvægiaæ
& Daniæ Regina, postquam varijs rationi-
bus subditos exhaustisset; tandem & hoc præ-
clarum inventum decreto promulgavit:
Vt certam pecuniam pro qualibet caudâ ju-
mentorum, pro focis & pro conjugio subdi-
ti penderent. Cumque singulis mensibus
olim Galli tributa conferrent, LICINIVS qua-
tuordecim in anno menses invenit. Et
cum qvidam A N T O N I O Macedonico acer-
bitatem & rigorem in extorquendis pecunijs
à subditis obijceret, dixissetque: At non ta-
lis erat Alexander; Respondit: Merito, nam
ille metebat Asiam, ego culmos lego. Verum
igitur est, quod Syra: inquit: Sicut Leo de-
vorat

De Divitijs.

vorat bestias in sylva; ita divitium præda sunt pauperes. Sicut omnis superbus nihilo pendit ea, quæ exigua sunt: ita divites affernantur pauperes. Dives injuriam facit pauperi, adhuc insolenter insultat. Pauper vero cogitur ferre, & insuper agere gratias. De his sangvisugis & impijs subditorum expilatoribus valde patheticè conqueritur spiritus Dei. Audite, inquiens, primores Jacob, & ductores domus Israël: *An non vestrum est scire jus ipsum? sed osores estis boni, & amantes mali;* Rapientes cutem istorum ab eis, & carnem eorum ab ossibus ipsorum. *Et quod comeditis, caro est populi mei, & ossa eorum diffringitis, &c:* At his Dominus atrociter minatur: *Efficiam, ut comedant oppressores tui suam ipsorum carnem, & velut musto sanguine suo inebrientur.*

Mich. 3.

Æsaiæ 49.

Potentum exempla imitantur reliqui omnes. Miles prædæ inhians corpus suum jacula & telis, milleque periculis obiicit. Mercatores conficiundæ pecunia omnes rationes ineunt: Mille artes excogitant, & quicquid industria in recessu acuminis humani posi-

Q 3

tum

Caput Quartum

Ierem: 5.

Cap: 2.

Prover: 4.

tum est, adhibent, dies noctesque insomnes
ducunt, mille discrimina adeunt, per saxa, per
imbris, ut opes opibus accumulent. Inven-
ti sunt, inquit Iebova, in populo meo impij, insi-
diantes quasi aucupes, laqueos ponentes, Et pe-
dicas ad capiendum. Sicut decipula plena a-
vibus; sic domus eorum plena dolo: Ideo ma-
gnificati sunt Et ditati, incrassati sunt Et in-
pingrati Et preterierunt sermones meos pessi-
me. Adeundem modum & Michras con-
queritur de illis: Quod dolum maginentur
in cubilibus suis, quod illuscente mane opere ex-
pleant, cum sit in potestate manus ipsorum. Qui
concupiscunt agros Et rapiunt domos, concu-
piscunt Et adimunt: Opprimentes virum
cum domo ejus, quemq; cum possessione sua.
Non dormiunt inquit sapiens, nisi cum malefe-
cerint, Et non rapitur somnus ab eis nisi sup-
plantaverint: Comedunt panem impictatus,
Et vinum iniquitatis bibunt. Idem Haba-
cuk queritur: Quotquot sunt hamo educit,
congregat illos cassibus suis, Et concludit eos
reti aculo suo: Ie ciro latatur Et exultat.

Nulla hic affinitatis, nulla amicitie aut
confec-

De Divitiis.

confederatis habetur ratio: cedit impro-
bae huic & sceleratæ cupidini omnis pietas,
honestas, jura omnia, amor denique insitus
erga conjugem, liberos, nepotes: Rumpit
& contaminat hæc dira ingluvies omnia di-
vina & humana; non templis, non aris, nee
mortuorum etiam monumentis parcens, ut
exempla Hircani, Herodis & Darij testantur.
Novus indagatur orbis, novæ regiones inqui-
runtur, altissimi montes perforantur, omnis-
que terræ communis matris, interiores venæ
& viscera perqviruntur, magicisque artibus
Thesauri investigantur sæpè & eruuntur.
Regna, Regiones, civitates, arcæ, patria, li-
bertas, conjuges, amici produntur: Corpora
diabolaria prostituuntur: Fortunæ omnes
in dubium aleæ eventum exponuntur: Vi-
ta denique ipsa, & sacra omnia auro veneunt.
Latrocinia crudelia, beneficia abominanda,
fraus multiplex & imposturæ infinitæ exer-
centur, non hospes ab hospite tutus, non sacer à
genero, fratribus hic quoq; rara est gratia. Ipse
adeò Filius Dei pecunia proditur à discipulo.
Et MÆNELAUS intervertit Iasonis talenta
trecen-

Iosephus.
Herodo-
tus.

2.Mach:14

Capitulum Quartum

trecenta sibi credita, inque proprium usum
convertit: Quaque debebat sacerdotium
summum Iasoni conservare; perdidit: sibi
emit; illi ademit.

CALIGV-
LA. Suer:
cap. 17.

Non pudorerat CALIGULAE, postquam
immensas opes totumq[ue] illud Tyberij vities
Septies millies H.S. non toto vertente anno,
ut Suetonij verbis utar, decoxisset, Egens
exhaustusq[ue] animum ad rapinas, varioq[ue]
exquisitissimo calumniarum, actionum
vectigalium genere, convertisset: In ipso Pa-
latio fæminarum mariumq[ue] lulanar condere,
ut ex eo meretricium questum ficeret: cir-
cumq[ue] forum Basilicas mittere nomencla-
tores, ad invitandos ad libidinem juvenes se-
nesq[ue]: præbita est insuper adventantibus pe-
cunia fænebris, a ppositi q[ui] nomina palam
subnotarent, quasi adjuvantium Cæsaris redi-
tus. Coacta ex eo vectigali ingenti auri copia,
ita oblectatus fuisse scribitur, ut in ea nudum
se provolveret, auriq[ue] aviditatem expleret.
Pro edulijs, qua tota urbe vendebantur, cer-
tum statumq[ue] exegit. Pro litibus atq[ue] judi-
cijs quadragesimam partem summa de qua li-
tigare-

De Divitijs.

tigaretur, nec sine pena, si quis composuisse,
vel donasse negotium convinceretur. Ex ge-
rulorum diurnis quælibus partem octavam:
ex capturis prostitutarum, quantum quæque
uno concubitu mereret: nec non matrimo-
nia obnoxia fuere: adeoq; nullum rerum aut
hominum genus omissum, unde ille non vedi-
gatis aliquid corraderet: Miramur has sor-
des non hominis; sed humanâ specie oberran-
tis diaboli; Imperatoris tamen Romani,
quem leges non ex rapinis & meretricio, sed
ex regni redditibus vivere permisere. Ac uti-
nam ejusmodi Caligulas non cerneret præ-
sens hæc actas: Dulcis odor lucri ex re quâ-
libet, non mercatoribus, non salarijs, & ejus-
modi hominibus sordidam mercaturam ex-
ercentibus: sed non paucis, quos de fæce vul-
gi Deus exemptos, ad summas dignitates su-
stulit, & ad rerum fastigium collocavit, qui
quod leges vetant, licentiâ sibi sumunt, &
adeò mercatorio sunt ingenio, ut suo genere
& dignitate prorsus indignam exerceant mer-
caturam, & sordidum quæstum faciant, non
ex frumento, lanâ & lino, quæ ipsorum so-

Caligu-
lamo-
derni.

Pecu-
nia cau-
sa homi-
nes in-
signem
maculâ
fama at-
trahit.

R lum

Caput Quartum

Herodo:
Darius.

Vespa-
sianus.

Suetonius:
cap. 21.

Ferdi-
nandus.

R. Nea-
pol:

Pontanus

lib: 8. de

liberalit:

Sveto:

Caligula.

lum produxit; sed illis rebus, quibus in urbi-
bus falsamentarij, laniones & caupones occu-
pantur. Homines profecto, qui vel à statuis
farinam exigerent. Quæ res illis non minus
dedecori est, quam olim DARIO Persarum
Regi, qui propterea institor dictus fuit. Nam
Persæ olim CYRUM patrem, Cambysen do-
minus, Darium institorem fuisse ajebant.
Et Vespasianus Imper: insignem maculam
virtutibus suis attraxit, quod inexplibili au-
ri aviditate, omnibus rebus vectigalia impo-
neret, nulli hominum generi, neque mendi-
cis parcens: adeoque utinæ putidum vecti-
gal, cum imperasset, & ob id à filio reprehen-
sus fuisset; pecuniam ex pensione promens,
ad nares ejus admovit, sciscitans num odore
offenderetur: & illo negante; atqui ex lotio
est, inquit. Quo nomine Ferdinandus Rex
Neapolitanus quoque notatus est, dum ex
eâdem lotij mercaturâ quæstum faceret.
Dumque TIBERIVS Imperator milvum
maximum dono sibi oblatum, veniundari jus-
fisset; milvo rapacior fuit: Ut & Caligula ejus
vestigium infecutus, qui dono oblatis pisces
majo-

De Divitijs.

maiores bis vel ter in foro vendidit. Ita nullum tam atrocum crimen est, quod non committunt homines lucri avidissimi.

An non cottidiè summo cum mœrore animi videmus, nullâ aliâ de causâ, quam opum & dignitatum furiosâ cupidine, à verâ fide, agnitiâque semel veritate, uti Apostolus prædixerat, homines deficere, errores & menda- cia amplecti, & contra conscientiam defen- dere, signum Antichristi suscipere, & de pocu- lo abominationis, de que irâ scortationis ejus bibere? Non verecundatur diabolus ipsi filio Dei regna mundi offerre, modò ut deci- dens ipsum adoret. Utque Christum & re- ligionem prodant, Iudas à Pharisæis: milites Romani à Pontificibus & scribis pecuniam sumunt. Et ut Antiochi capitanei Mattha- tiam pecuniâ & oblatis honoribus, à verâ re- ligione avertere tentant: Ita satellites Anti- christi etiam hodiè facere videmus. Quod- que Daniel prædixerat de Antichristo, glo- riam multiplicaturo, daturo potestatem in multis, terramque distributuro gratuitò ijs, qui Maosim colunt; impleri hodie magno

Pecu-
nia & cau-
sa homi-
nes à fi-
de defi-
ciunt.
1. Tim:6.
Apoca:17.

i. Mac:13.
Cap: II.

R 2 cum

Caput Quartum

Pecu-
nia & cau-
sa homi-
nes Di-
abolo se-
se tra-
dunt.

Cum animi nostri dolore videntemus. Quin
in eum furorem, solâ pecuniae cupiditate, vi-
demus homines incidere, ut Deo aeterno sum-
moque bono abnegato, fœdera cum Diabo-
lo hoste generis humani feriant, & propter
exiguum lucrum, brevesque voluptates, no-
bilissimam animam, unâ cum corpore, ater-
nis supplicijs excruciamdant, Satanæ tradant.

O immanem hominum in sua viscera, in pro-
priam animam, quam Christus filius Dei
tanto sanguinis sui pretio redemit, scœvi-
tium, crudelitatem! O diram, & non nisi
corporis & animæ interitu explebilem, auri-
sitim! Quid non mortalia pectora cogis au-
ri sacra fames? O beatos nos, si vel centesi-
mam istarum curarum, solicitudinis & in-
dustriæ partem, adipiscendis & acquirendis
veris perfectisq; animæ bonis adhiberemus!
Sed qvotus qvisque est, qui aliquâ saltē ani-
mæ suæ curâ afficiatur? Vni pecuniae lucro,
totus sese hic mundus, ceu Deo cuidam con-
secravit, majoraque qvam ipsi Deo obsequia
præstat. O vanitas vanitatum!

Sed quid? tantis laboribus, curis & peri-
culis

De Divitijs

culis congestæ opes ? beatumne reddunt se-
curum ac lœtum possessorem , suaviter dein-
ceps & delicate viventem , bonisque suis uten-
tem , fruentem ? Omnipotè quidem hunc fru-
ctum laborum suorum , summis periculis &
immensi curarum mole locupletati , percipe-
re debebant ; sed eò pervenire eos Plutus ipso-
rum non sinit : Quidam potius quamq; plures
coacervarunt opes ; tanto arctiori eos obse-
quio sibi obstrictos detinet : & dum Mam-
monis sui servitio corpore atque animo oc-
cupantur ; perpetuis curis & solicitudinibus ,
angore animi atque mœrore afficiuntur . Ac-
cedit & nova calamitas , multiplicanturque
curæ , dum nocte dieq; cogitant solicite , quo-
modo numen hoc suum , suo sibi obsequio
ita devinctum detineant ; ne quā ab ipsis in-
juriā affectum , vel diminutione lœsum , pos-
sessorem mutet : neve tinearum & tempesta-
tum injurijs , latronum & furum malitiā , aut
perfidorum hominum fraudibus ac impo-
sturis expositum , pereat : aut fortuito quo-
dam casu ipsis eripiatur . Itaque quia timi-
dus semper , ut est in proverbio , *Plutus* ; vitam

2.

Possessio
plena
anxie-
tate .

Cap: 30.

R 3. agunt

Caput Quartum

Cap: 31.

Ecclesiast: 2

agunt divites plenam timore & anxietate.

Idque nobiscum affirmat Syrac: inqviens;

Pervigilare ut diteris, consumit corpus, & de-

re familiari esse solicitum, interrumpit som-

num; cum quis lecto decumbens solicitus se-

torquet, subinde evigilat; perinde ut in morbis

molesta est insomnia. Et Salomon: Quid,

inquit, homini proderit de universo labore suo,

& afflictione spiritus, quâ sub sole cruciatus

est? Cuncti dies ejus doloribus & acriumnis

pleni sunt; nec per noctem mente requiescit.

Et hoc nonne vanitas? Cumque divites a-

nimo semper sint ad rem intento, curis ac

tristitia nebeculis obducto; rara in vultu hi-

laritas, rara in alloquio comitas & affabilitas

apparet; tristitia noctes & dies cor ipsorum

exedens, ita eos macerat, ut perpetuis curis

torqueantur. Quemadmodum sutor ille;

quem dives postico habitantem, & animo à

curis vacuo dulcissimas cantilenas cottidie

modulantem, magnâ pecunia summâ dita-

rat; acceptâ pecuniâ, omnis lætitiae oblitus

est. Augetur autem in illis dolor & tristitia

augmento pecunie & opum, & crescentem

sequi-

De Divitijs.

seqvitur cura pecuniam, majorumq; fames.
Eheu quam vanè solliciti sunt? Colliguntq;
ignorant quis congregabit. Res profectò mi-
sera est magni custodia census, cuius retinen-
di amore occœcati & capti homines, quidvis
non tentant; omni famæ, vitæ & salutis, post-
habitâ ratione: Eodem planè modo, quo sor-
didus ac dives ille populi contemnere voces sit
solitus, modò auri sui acervo sese oblectet:

— Populus me sibilat; at mihi plundo
Ipse domi simul ac nummos contéplor in arcâ.
Homines patroclo sordidiores! Cujusmodi
multos hodiè invenias, qui susque deque ha-
bent, quo sint apud alios in honore & existi-
matione, qvâue autoritate valeant; modò
aurum, modò argentum anxijs curis conge-
rant, nec sibi nec suis profuturum; imò in
præsentissimum ipsos vitæ periculum datu-
rum. Quemadmodum olim PTOLOMÆVS
Cypri Rex cum videret se propter ingentes,
quas possidebat divitias, in discrimin vitæ
venisse; comportatis undique opibus, navi-
busque impositis, in altum processit, ut clas-
se perforatâ, periret unâ cum opibus, qvas

Psal:19.

Hora: lib.
1. Ser: Sat. 1

Ptolo-
maeus
Cypri
R.

hosti-

Caput Quartum

Val. Max:
Cap: 2.

hostibus invidebat. Verum non sustinuit
mergere Plutum suum homo auri amantissi-
mus; sed futurum sua necis præmium domum
revexit. Rectè itaque Haba: Omnes ait
de avaro parabolam ejusmodi prolatus, &
talem ænigmatis interpretationem: Væ mul-
tiplicant non sua, & numerose aggreganti den-
sissimum lutum: Quousq[ue] tandem? An non
repentè consurgent, qui mordeant te, & exper-
giscuntur di vexaturi te. Væ dedito questui
malo, pro domo suâ, ut disponat in excelso ni-
dum suum, quo eripiatur e potestate mali.

Multi instar draconis Scythico luco incu-
bantis, suis ita incumbunt pecunijs, ut pro-
prium non raro genium defraudent; dum
fraudibus genio consulere student: & dum au-
rum corradunt, sibi ipsis maciem contrahunt,
miseramque & planè inopem agunt vitam, ut
Tantalus: Congestis undiq[ue] saccis.

Ecclesi: 6.

Indormit inhians, & tanquam parcere sacris
Cogitur, aut pœnit quam gaudere tabellis.
Est & aliud malum, quod vidi sub sole, &
quidem freqvens apud homines Vir cui dedit
Deus divitias, & substantiam, & honorem
& ni-

De Divitijs.

¶ Nihil decet anima sua, ex omnibus qua desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo; sed homo extraneus devorabit il-
lud. Hoc vanitas magna miseria est.

¶ Multi tanto servitio Mammoni suo obstrin-
guntur, ut ejus amori planè immoriantur.

¶ Quemadmodum de Crafto quodam præpo-
sito Goslariensi commemoratur, quod à præ-
dio aliquandò, cum ad Plutum suum colen-
dum, qvem in cubiculo reservaverat opulen-
tissimum, reversus esset: ibique diutius soli-
tò indulgere somno videretur: Servi qui ne-
que pulsu ostij, neque vociferatione Domi-
num excitare poterant, fractis foribus, irrum-
pentes; hominem exanimem miserabili mo-
do suis Thesauris incubantem, reperserint.

¶ Quapropter ut serpens vel anguis, angvis
non esse desinit, et si scrinio aureo includatur:
Sic manent opes spinæ & tribulæ miseram
animam misere pungentes; licet pulchritudi-
ne suâ dementatas hominum mentes tene-
ant oculosque perstringant. Itaque

Tantis parta malis, cura majore, metuq;
Servantur: misera est magni custodia census

S

Quod

Craftus
Goslari
ensis.

Lucæ 8;

Caput Quartum

3.
Amisso
plena
doloris.

Quod si vero tanto labore & curâ collectæ,
majori etiam asservatæ opes, amittuntur; Deus ipse amissus putatur, & tota salus Hic clamorum, ejulatus, lachrymarum, mœroris, anxietatis, nullus neque finis neque modus & parum abest, ut non laqueo vitam finiant.

4.
Nullus
ex colle-
ctis opis
bus frn-
cias.

Sed neque pœnitere possit quenquam suscepitæ molestiæ, & exantlati cum periculo laboris, si quem fructum ex conquisitis & undique congestis opibus perciperet. At nullus omnino redit ex ijs fructus: neque ad hanc vitam; vel conservandam, vel contra morborum injurias tuendam, vel contra mortis vim propulsandam: neque ad futuram vitam. Ut

Ecclesiæ.

vere sapiens: *Qui amat divitias fructum non capiet ex ea, hoc ergo vanitas.* Et quid prodest possessori nisi quod cernit divitias oculis suis. Quod enim ad hanc vitam conservandam attinet, non solo pane vivit homo, sed omni verbo, qvod egreditur ex ore Dei. Etenim sic condidit hanc naturam rerum omnium opifex, ut paucissimis ad sui conservationem non immensis opibus indigeat. Alimenta præterea addidit necessaria & copi-

Vel hu-
jus vita
susten-
tandæ:
Sibi

De Divitijs.

copiosa, ijsq; omnes mundi angulos implevit:
aēiem pennatum: terram animalium & fru-
ctuum: aquam piscium vario genere: &
quotidiē singulis suæ vocationis labores, si-
deliter exequentibus, de viētu abundē profici-
cit, ut immenso auri cumulo ad conservan-
dam hanc vitam non indigeamus. Quem-
admodum rectē Syra: *Satis est ad hanc vi-*
Capit: 29.
tam: Si quis habet aquam & panem, vesti-
mentum & domum, quibus tegat nuditatem
suam. Et Christus: *Nemo ex abundantia*
opum vivit. At stultissimus olim Phrygiæ
Rex M Y D A S data sibi à Dijs immortalibus
optione, quicquid vellet petendi,
ille male usurps donis, ait: Effice quicquid
Corpore contigero fulvum vertatur in aurū
At cum cibaria contrectasset, & illa in aurum
conversa fuissent:
Attenuatus novitate mali, divesq; miserq;;
Effugere optat opes, & quā modō voverat, odit
Copia nulla famem relevat, sitis arida guttur
Vrit, & in viso meritus torquetur ab auro.
PYTHIVS BITHINICVS facilè privatorum
omnium qui ingentes Thesauros possederūt,
MYDAS.
PYTHIVS

Caput Quartum

ditissimus. Is enim est, qui Dario Persarum Regi Platanum illam auream, & nobilissimā vitem, toties in historijs decantatam, donaverat: Darij filium Xerxen, cum ingenti exercitu, quorum tunc ter & vicies centena fuere hominum millia, teste Herodoto, in Graciā tendentem; hospitio suscepit, & Xenijs magnificis ornavit: stipendium insuper & frumentum quinque mensium Regi & toti exercitui stipulatus; magnā sanē liberalitate & in homine avaro admirandā; si filium ex quinque vnum senij solatium domi residere Rex pateretur: argenti quoque talenta duo millia, auri verò myriadas quadringentas staterum Daricorum, id est, quadringenties centena millia coronatorum, seu quadringentas tonnas auri, Regi donavit. Hic inquam, Pythitus auri ditissimus idem & avidissimus, cives suos omnes, in metallis fodiendis occupatos habebat, inquit Polyenus, id que vnum auri congerendi studium tantopere coluit, ut ob laboris illius magnitudinem interirent plerique. Vnde mulieres agminatim ad Pythij venerunt vxorem, instanter orantes,

Lib: 8.

Cælius

lib: 19.

Cap: 18.

Ant: lec:

De Divitijs.

rantes, ut huic malo mederetur. Illa ergo, adhibitis artificibus, panes & alia id genus edulia ex auro confici præcepit: eaque omnina Pythio, parari cœnam postulanti, apposuit. Quorum aspectu delectatus primūm Pythius, post hæc cibos afferri imperavit: Verum cum vxor cuncta quæ postulabat, ex auro concinnata juberet apponi: & is ira percitus, sese clamaret esurire, non amplius auro opus esse; respondit illa: *Omnis crvium tuorum cura, tuo iussu in parando tantum auro versatur: jam propter id nullos agros colit, jam totius rusticationis cura intercidit.* Hac vxoris castigatione motus Pythius, animum ab incepto revocavit opere. Nullus iccirco aurius usus est, ad conservandam sustentandamque vitam humanam. *Neḡ enim fugare indigentiam copiā possumus, sed pluribus opus habent adminiculis divites, ad tuendam pretiosi suppelleclilis varietatem inquit Boëtius.* Et permultis indigere, permulta qui possident, res ipsa testatur. *Contraq̄ minimo indigere, minimum qui possident, abundantiam suam natura necessitate, non ambitus sui superflui-*

Caput Quartum

aut po-
steris.

tate metiuntur. Itaq; si ad naturam vix-
ris, inquit Seneca, nunquam eris pauper: Si
ad opinionem nunquam eris Dives; exiguum
natura desiderat, opinio immensum.

Sed posteris coacervabis? Insania. Irrita-
menta malorum illis colliges, non vitæ subsi-
dia. Magno labore congregabis, illi dissi-
pabunt majore. Spe largæ hæreditatis occu-
patus animus juvenilis; neque ad liberalium
artium studia sese dabit, neque aliud quod-
cunq; honestum exercitium seqvetur. Quod
si avaritiæ paternæ sectatores fuerint liberi, &
immodico divitiarum siti nihilò minus æstu-
averint; tanto inter se exardescet odio, dum
amplum istud patrimonium distribuendum
erit, dum judicio inter se contendent; ut nul-
lum rixarum, odij, livoris, sive finem, sive
modum se perspicere, & in suam perniciem
congregata hæc bona esse conquerantur.

Quod si Harpejs manibus fortè, per fas ne-
fasque congesta sit hæritas, qua ratione ho-
diè plurimæ opes conquiruntur, manifestum
est, de male quæ sit is non gaudere tertium hære-
dem: Malè parta, malè dilabi dilapidariq;

Filij

De Divitijs.

Filij abominationum inquit Syracides, sunt
filii peccatorum. Et filiorum peccatorum ha-
reditas peribit. Cujus rei quotidiana experi-
entia nobis quam plurima suppeditabit ex-
empla, cum integras interire familias videa-
mus, & evanescere opes ab avaris parentibus
avaris liberis relietas. Candiæ Dux quidam,
cum haberet scrinia, aureis argenteisque pe-
cunijs vario genere referta, & malleo cu-
neata: hospites qui apud eum divertebant,
sciscitabatur, cuius nam generis pecunia indi-
gerent? respondentibus ejus generis, cuius
usus foret in ea provintia, in quam quisque
iter faceret: scrinia produxit, & quantum vel-
lent capere jussit: frustraque conantes, deri-
debat; novo prorsus genere jactandarum o-
pum, & dissimulandæ avaritiæ. Sed filius
succedens, facili negotio omnia evacuabat
scrinia: qvibus brevi exhaustis, pecunijsque
dilapidatis, obæratus insuper vitam miserè
duxit; non nisi curas, mærores, & offenso
Ferdinando Rege; extreum vitæ periculum
ex opibus paternis lucratus. Quemadmo-
dum Salomon, inquit, Generavit filium qui
in sum.

Cap: 41.

Candiæ

Dux.

Valla.

Ecclesiæ:
Cap: 5.

Caput Quartum

Cap: 29.

Artar-
Xerxes.
Plutar-
chus.

in summa egestate erit. Et Job: *Filij ejus at-
terentur egestate. Quis igitur furor? quæ in-
sania: tantis laboribus, curis & sollicitudini-
bus, cum maximo proximi detrimento &
propriæ conscientiæ læsione, ingentes collige-
re pecunias, qvarum neque tu ipse, neque po-
steri, non nisi irrecuperabili salutis, corporis
& animæ damno & interitu fruantur: & quæ
incitamento esse possint atq; occasio liberis,
non solum ad omne genu flagitorum com-
mittendum, sed ipsis insuper parentibus eo-
rumque vitæ insidias struendum. An dubi-
tas tantum scelus posse cadere in animos libe-
rorum erga parentes? Nonne id ipsum te-
statur experientia, quanto desiderio expectent
quidam malè feriati, & profligatæ malitiæ
juvenes, mortem parentum, ut hæreditate eò
citius potiantur? An non ARTARXERXI Persa-
rum Regi centum & quindecim suere liberi?
quorum illum magnam partem occidisse, te-
stantur historiæ, non alia de causa, quam qvod
sibi insidias struxisse convicti essent. Felici-
ores igitur sunt ditioribus egeni parentes, &
major eorum securitas, & beatior vita omnis
invidix*

De Divitijs.

invidiæ expers. Itaque potius in id incumbe, ut liberi tui *in vñitatem qvæ iustitia* Domini educati, celebritateque pominis tui exerciti, imitatores & hæredes virtutum tuarum esse, sedulò studeant. Et gloriam nominis tui optimum ducant esse patrimonium. Curram habe inquit Syracides de bono nomine : *Hoc enim magis permanebit tibi, qvam mille thesauri præciosi & magni. Optima siquidem hæreditas, que à parentibus traditur liberis, omni patrimonio præstantior, Gloria est virtus rerum gestarum.* O præclaram ab Etnico vocem ! multo tamen præclarior PHOCIONIS factum, qui ingentem auri acervum, à Philippo Macedonum Rege missum , pignus amicitiæ , sprevit conitanter. Cumq; nullis oratorum persuationibus moveretur, majoremque patriæ, qvam commodi proprij habendam rationem duceret ; diceretque *sibi his opus non esse* : hortantur illi, ut si his ipse facilè careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus valdè difficile foret in ranta paupertate paternam tueri dignitatem : respondit ille, *si mei similes futuri sunt, idem* T. hic agel

Ephes. 6.

Cap: 45.

Cicero.

PHOCION.

Capit Quartum

Lib: 8.
cap: 5.

bic agellus qui me ad hanc dignitatē evexit illos alet; si dissimiles, nolo eorū luxuriā his opibus alere Vir profectō magni ingenij, Dux Atheniensium fortissimus & opum contemtor sapientissimus, magnanimus, & dignus qui BONI cognomento sit celebratus, & de quo diu, inquit Sabellicus, inter Græciæ Sophistas quæsitum sit: major ne Alexander esset, an Phocion, qui Alexandri aurum contempsit. Cum enim Alexander M. Phocionem pecuniâ expugnare tentaret, eodem planè modo, qvo ante ipsum pater ficerat; dono illi misit ex Asia Athenas centum Talenta. Quibus oblatis quæsiyit ex ministris Phocion: Cur ex omnibus Atheniensibus Alexander soli sibi tantum munus largiretur? his respondentibus: Quod te existimet virum bonum & honestum: hunc excipiens sermonem ait: Ergo finat me, talis ut ē habear ē sim. Inservi eum tamen sunt legati usque in domum: Et frugaliter viventem, vxoremque panes pinsentem cum conspexissent, eò arctius virum, nec sine stomacho premunt: Turpè esse allegantes Regis amicum tam vi-
vere

De Divitijs.

vere duriter. At ille nihil movetur, se nemque
inopem in obsoleta læna prætereuntem con-
spicatus, perconctatur Legatos: Num se eo
deteriorem existiment? Bona verba inqui-
unt illi. *At qui hic, inquit, ex re minore vivit,*
Est contentus: Brevi, aut si minus utar
pecuniâ hac, ne quicquam tantum auri posside-
bo: aut si utar, me ipsum juxta atq; illum in
calumniam coniçiam ad populum. Itaque re-
portata ex Athenis pecunia est: ostenditque,
inquit Plutarchus, Græcis ille, tantâ summa
non indigentem, locupletiorem dante esse.
Nec minor in X E N O C R A T E virtus, cui cum
Alexander M. triginta talenta misisset, lega-
tos frugali cœnâ exceptit: Postero vero die
interrogantibus illis: Cui nam imperaret ad-
numerari pecuniam: Quid vos, inquit, he-
sterna die non intellexistis, eâ me non indige-
re. Talis erat & Socrates qui nullis muneri-
bus passus est se expugnari. Melius hoc per-
spexit Salomon Reg sapientissimus Eccles: 2.
Detestatus sum, inquiens, omnem industriam
meam, qua sub sole studiofissimè laboravi; ha-
biturus hæredem post me, quem ignoro, utrum

XENO-
CRATES.

Caput Quartum

sapiens an stultus futurus sit; Ego dominabitur
in laboribus meis quibus defudavi, Ego sollici-
tus fui: Estne quicquam tam vanum?

Recte igitur hanc frugalitatem nobis sacræ
literæ commendant, dum tanto Encomio eos
ornat qui labores manuum suarū manducant.

Cap: 40.

Vel cō-
tra ege-
statem
omor-
bos cor-
poris at-
qz ani-
mi defē-
dendæ.

Quos beatos pronunciant & suaviter viven-
tes, Et Syracides de vita sibi sufficientis, ope-
rarij, seu qui præsentibus contentus est, &
sépyε, τὰ παρόντα, dicit; quod magnā dulce-
dine & suavitate sit respersa, & inveniri in
ea lhesaurum. Contra vero, sicut egestatem
copia nulla tollit, ita nec divitiæ divitem faci-
unt. Et revera, quemadmodum opinio divi-
tias rem bonam fecit, ita eadem in opiam ma-
lam. Neque enim defectum ullum submo-
vere; neque laborantibus succurrere, aut mi-
nimam tebriculam tollere potest vel maxi-
mus auri acervus. Multò minus animi cu-
ras sublevare, aut morbis ejusdem mederi
possunt divitiæ, tametí Heliogabalus & Ca-
ligula, super ingentes aureorum acervos, cu-
biculis suis distulos spatiarentur; nullum ta-
men levamen ægritudinum suarum sensile-
runt.

Non

De Divitijs.

Non domus, aut fundus, non aris acervus

Ægroto domino deduxit corpore febres (auri

Non animo curas —

Imò hoc impium cumulandarum opum

studium, ita conscientiam vulnerat, lacerat,

multisque modis excruciat, ut mœrore tan-

dem avari contabescant, in ipsa affluentium

divitiarum copiâ. Vti Salo: *Suavis est homi-*

ni panis mendacij, & postea implebitur os ejus

calculo. Et Hab: 2. Lapis è pariete exclau-

mat, & nodus è ligno testificatur illud, id est,

ingens pavor conscientiam excruciat. Et Job.

Divitias quas devorazit evomet, & de ven-

tre illius extrabat eas Deus. Caput aspidum

suget & occidet eum lingua viperæ. Iccirco

quemadmodum non melius habet ægrotus,

quod amplio, magnificoque decumbit lecto;

neque sanus ideo pejus, qvod arcto & tenui:

Ita avarus semper æger est, etiam si auro ope-

riatur; at qui animo est sorte sua contento,

lætus & alacris incedit, tametsi magnis opi-

bis sit destitutus.

Multò vero minor earum usus & solati-

um in morte. *Qua appropinquante, etiam si*

T 3 ingen-

Prover: 20

Cap: 20.

Vel cō-
tra mor

Caput Quartum

tem tu-
ende.

Chrysip-
pus.

Vela-
ternevi
ta & com-
paran-
da.

ingentem auri congeriem oculis perlustraveris, ambabusque manibus contrectaveris, uti solent homines auri avidissimi; nullum inde moriens levamen senties. Quidam Euclio moriens aurum suum poposcit: Quod cum in pelvi adferretur, manum confessim injecit utramque; opem subsidiumque vitae, & mortis levamen queritans, subindeque ingemiscens & murmurans: *Eheu quibus vos relinquam.* Alius quidam aurum deglutiendo, mortis vim propulsare voluit. Alius sago induitus, cui interius aurum insuisset, contra mortem satis se armatum esse putavit; sed nec eo modo mortis aculeum devitare potuit

Quod si magnarum opum nullus in hac vita vel fovendâ vel posteris conservandâ, vel contra ægritudinum & mortis injurias tuedâ usus est; multò minus profuturas eas ad futuram vitam, vel adipiscendam vel conservandam, appareat; imò multo magis nocituras eas omnibus, qui caducis his, & momentaneis flavißis cor apponunt, & cumulo suo dicunt: *Deus meus es tu, fiduciamque suam ponunt in incertis divitijs.* Hos, dum ca-duca

De Divitijs.

duca hæc mundi bona cælestibus & in omne
ævum duraturis , præpostero planè ordine
præferunt ; ab æterno & vero bono avulsoſ,
ſacra auri fames, in abyſſum omnium miferi-
arum præcipitat : & ad omnis generis flagitia
committenda , cum tristi conſcientiæ & di-
ni numinis læſione, impellit.

Et quæ eſt infania ? Imo dementia homi-
num? his rebus tanto conamine inhiantum,
qvarum non modo nullus neque in omni
vita fructus , neque in morte eſt ſolatium: ſed
quæ poffefforem in prætentiffimum diſcri-
men, & vitæ periculum conijciunt ſæpiſſimè.
Id qvod hiftoriæ omnium temporum te-
ſtantur. Multis odium, invidiam, livorem,
æmulationem , pereſecutionem opes pepere-
runt. Multi innocenter delati, accusati, con-
demnati , palam & claram interfecti ſunt , nullâ
aliâ de cauſâ, niſi qvod opibus abundare eos
lividus conſpexit oculus. Rectè igitur Syra:
Multi dati ſunt in auri caſus, facta eſt in
pulchritudine ipſius perditio illorum, hoc eſt,
propter divitiias multi gravibus implicantur
caſibus ac periculis, & videntes prudentesque
pereunt.

Opes in-
gentes
poſſeſſo-
rem co-
iiciunt
in præ-
ſentib:
vitæ pe-
riculuſ.

Cap: ii.

Caput Quartum

3. Reg: 11.
Luc: 16.

Svetonius
in Tyber:

CALIGV-
LA.

pereunt. Qui sacrificant eis, illos evertunt,
Incautos captivant. An non hoc modo
opibus suis perierunt Naboth Israëlite, Eze-
chias, cuius suprà meminimus, dives Epulo
in Luca, &c:

Ad eundem modum plurima suppeditant
nobis exempla historiæ prophanæ. Nonne
Cn: Lentulus augur, et generosissima prædi-
vesque fœmina Lepida: Vono quoque Rex
Parthorum, qui à suis pulsus, cum ingenti
gaza, in fidem Po Romani concesserat; à Ty-
berio cæsare summâ perfidiâ, ob census abun-
dantiam, necati sunt. Idem autor est CA-
LIGVLAM inhiantem plurimorum opibus;
quadragesinta reos ex diversis criminibus unâ
sententiâ condemnasse. Alea ludentem, com-
mendata vice proximo collusori, in atrium
domus progressum, conspexisse prætereun-
tes duos Equites Romanos locupletes, eos sine
mora corripi, confiscariq; jussisse: Deniq; re-
dijisse exultantem & gloriantem: numquam
se prospere alea usum. In Gallijs cum ali-
quando in lusu aleæ deficere sibi pecuniam sen-
sisset, Gallorum descriptio ns postularvit, ac
ditissi-

De Divitijs.

ditissimis interfici iussis, ad collusores reversus
est, Et vos, inquit, de paucis drachmis labora-
tis? Ego vero interea centies quinquagies
millies mille coegi, Iulium Priscum prætorem
alijs quidem criminibus accusatum, cum spe
magni aucupij occidisset; frustratus tamen:
decepit me, inquit, frustraq[ue] perijt, dum vivere
potuisset, nihil enim morte dignum possedit.
Ita sub Imperio crudelissimæ bestiæ nemo
divitum securus vivere potuit. Omnes in
perpetuo versabantur timore, ne quando
propter divitias suas perirent. Si quos tamen
provectioris ætatis vivere patiebatur, Testa-
mentis eorum inhiabat, eosq[ue]; patres & avos,
& matres & avias, voracissimus hæredipeta,
lucrique mancipium, vocare solitus fuit.

Rectè igitur Boëtius hanc qvam in opum
ingentium possessione homines collocant be-
atitudinem, exagitans: O præclaram, inquit,
opum mortalium Beatitudinem, quam si ade-
ptus fueris, securus esse desistis. Quod intelli-
gens SENECA, cum censu plurimo abunda-
ret (possidebat enim, ut calculus ostendit Bu-
dæi, bis ter millies testertiūm, id est, centies &

V quin-

Zona-
ras. Xi-
philinus

SENECA.

Caput Quartum

qvinquagies centena millia coronatorum) &
animadverteret, se apud Neronem insimula-
ri, quasi ingentes & supra modum evectas o-
pes quotidiè augeret: Vir sapiens instantem
pernitiem tempestivè declinare, vitamque o-
pibus commutare aut redimere voluit. Prin-
cipi itaque immensi census cessionem fecit,
vitæ ut consuleret; qvod tamen obtinere non
potuit. Quæ omnia tacitus pulcherrimè de-
scribit.

Tacilus.

Ita multi præstantissimi viri: Magnus il-
le P O M P E I V S, potentissimus Lydorum Rex
C R O E S V S, ditissimus Romanæ Reip: Civis
& Imperator C R A S S V S, celeberrimus ille
G A B I N I V S, Eloquentiæ & facundiæ Atticæ pa-
ter D E M O S T H E N E S argentanginâ laborans, &
quæstuariam exercens eloquentiam, T I M A-
G O R A S ad Artarxerxen Atheniensium lega-
tus, Fortissimus Græciæ dux T I M O T H E V S;
vel suo, vel alieno quod præter rationem ap-
petiverunt auro, miserè perierunt. Nec pro-
fuit Timotheo quicquam: quod Olynthios
& Bizantios bello subegisset, Samum cepis-
set, totam Laconicā de populatus eslet, Pelo-
ponne-

De Divitijs.

ponnesum & reliquas regiones, quas mare il-
lud alluit, subegisset, Lacedemones Atheni-
ensibus maris principatum cedere coegisset,
quod patrem habuisset Cononem, tot torti-
bus ausis præstantissimum ducem & liberta-
tis Græciæ vindicem.

Eodemque modo miserè perijt POLYCRAT-
ES, cuius cum ingenium inexplicabili pecu-
nix cupiditate flagrans, Orætes Darij præfe-
ctus cognitum haberet; simulatà à Dario de-
fectione, cum Polycrate amicitiam finxit.
Octo igitur scrinia lapidibus, superstrato sin-
gulis auro, implevit, missoque legato, Poly-
crate ad hæc inspicienda, quorum usus illi
foret ad res magnas conficiendas, totiusque
subigendæ Græciæ, invitavit: Polycrates
postquam rem se ita habere à Meandro quem
præmiserat didicisset, magnâ spe tanti auri
potiundi, protectionem & ipse ad Orætem
adornat. Neque à proposito retrahi potuit,
ullis vel sanorum hominum consilijs, vel
sommiorum ostentis, vel Deorum etiam re-
sponsis, vel filiæ unicæ, infausto somnio ter-
ritæ, voce & lachrymis, quibus patrem usque

POLY-
CRATES.

V 2 ad na-

Caput Quartum

ad navem prosecuta est , & profectionem tanto conatu & importunitate dissuasit , vt ad iram commotus Polycrates ei minaretur , longo se tempore eam non elocaturum , bene confessis rebus , si rediret . Illa idem sibi imprecatur , modò patrem salvum & incolumem domi retineret . Quâ filiæ pietate cum minimè moveretur Polycrates , & Sardis ad Orat̄em pervenisset ; captus & cruci suffixus est . Ita Dux tota ætate felicissimus , uti supra commemoravimus , dum alienum aurum sitit , proprium unà cum vita & Imperio amisit . Rectè itaque Aristoteles : *Multi propter di-
vitias periēre , multi sibi & alijs necē intulēre .*
Ergo sollicita tu causa pecunia vita es

Per te immaturum mortis adimus iter .

N I C E -
P H O R V S .
Aemil:
lib: 3.

Cumque NICEPHORVS Græciæ Imperator Bulgarorum inhiaret opibus , & majora munera ab his postularet , quam eorum vires ferrent , rei indignitate commotus & irritatus Rex Barbarus minori exercitu , majore furore , cum Nicephoro congressus , eundem superat , & cum maxima nobilitatis parte interfecit , capiteque cœsi Imperatoris intus purgato ,

De Divitijs.

gato, calvam argento induxit, eaque cum ipse libasset, proceres suos eibere jussit: Sic fore inquiens, ut auri sitientissimus Cæsar, meo post fata expletus alienam sitim clueret, sedaretq;. An non eodem planè modo Crasso parthi, Cyro Tomyris, Attilio Mithridates, cœsis aurum infudere mortuis, ut qvo vivi exsaturari non potuere, mortui implerentur.

Ita dives epulo, & Nabal stultissimus, opibus suis, corporis & animæ interitum sibi accersiverunt: sic Hophni & Phineas: sic Theodorus sacrilegus, suâ se avaritiâ perditum ivit. Hinc Iudas Machabeus. Simonianos vita mulctavit, Cambyses iudicem: θωρακάγονον excoriari: Alexander M. Polymachum capite plecti jussit: Severus Vetronum Thurinum sumo perdidit, fumum qui vendidit. Dies nobis deficeret, si singulorum exequemur exempla, opum cupiditate immensa, qvi se in tragicas calamitates conjecterunt.

Quot numerantur in omnibus historijs belli Duces, provinciarum præfecti, consiliarij principum, judices, oratores, qui, vel corrupti pecuniâ fœdissimum proditionis scelus

V 3 commi-

Lue: 16.
1. Sam: 15.
1. Reg: 8.
1. Mach: 1.
1. Mach: 10

Caput Quartum

commisere: vel muneribus excœcati, à justitia
tramite deflexerunt: vel dominis suis in-
justas conficiendæ pecuniæ rationes dictita-
runt, & expilandis subditis consilia suppeditarunt,
atque effrenatâ in aucupandis alienis
cupidine, se unâ cum Dominis, totoqué Re-
gno, præsentissimo periculo exposuerunt!

Hactenus igitur ostendimus, ingentes opes
(quarum nullus neque in omni vita, neque
in morte sit usus, nisi quod miserias hominum
mentes, à vero bono avulsas, ad omnis gene-
ris libidines, flagitia & miserias impellunt, &
in corporis pariter atque animi præsentissi-
mum periculum coniiciunt) magno labore,
curâ, & molestiâ partas, majori conservatas,
maximo amissas, nihil facere ad beatè viven-
dum, perfectum non conferre solidumque
Gaudium.

III.

An perpetuâ Beatitate perenniâ, Gaudio,
cumulandarum opum studium, nos
reddat felices.

VT in divitijs & immenso cumulanda-
rum opum studio nec veram nec per-
fectam

De Divitijs.

fectam inesse Beatitudinem & Gaudium ostēdimus: Ita multo minus perpetuā Beatitate perenniā gaudio pectora afficere eorum, quos inexplebilis divitiarum sitis torquet, & magnarum opum dira Erynnis divexat, ostendemus.

Quemadmodum enim momentanea & caduca sunt omnia hujus mundi bona: Ita beatitudo & latitia quæ ex eis nascitur, momentaneam esse & caducam, per se notius est, quam ut prolixā demonstratione indigat. Omnia temporaria inquit Syra habent finem, & qui in his versantur unā cum ipsis intereunt. Et testatur experientia, quod hæ flavissæ cultorem sæpius antevertant, & cito derelinquant, quam ab eo derelinquentur. Accedunt sacræ literæ, quæ pulcherrimis floribus brevissimo temporis spatio virentibus, & mox marcessentibus divites conferunt. Iacobus inquit, *veluti flos herbae præteribit.* Exortus est enim sol cum æstu, & exaruit herba, & flos illius decidit, & decor aspectus illius periret: Sic & *dives in vijs suis marcescet.*

De divitijs autē filius Dei inquit, Quod in-

jurijs

1.

Cap:14.

Iaco: 1.
Psal: 40.
Syr: 14.

Matth: 6.

Caput Quartum

jurijs tinearum & æruginis sint obnoxiae, furum sint præda, hostium rapina, ignis & aquæ esca, impostoribus materia doli & fraudis. O igitur elumbem & miserabilem Plutum, qui tot injurijs expositus, à nullâ neque minimâ earum, vel se tueri, vel cultorem vindicare potest!

2.

DIONY-
SIVS.

Multi divitiarum nobilitate clari, & opibus ad luxuriam pleni, ad extremas accitas redacti sunt, & ad summam egestatem pervenerunt. DIONYSIUS Syracusanum Rex ditissimus, ingentem qui possedit opum & navium multitudinem, habuitque regnum pedestribus & equestribus copijs, adeoque (ut ipse gloriari solitus est) adamantinis cæthenis, vi & metu scilicet, firmatum: ad tantam redactus est paupertatem, ut regno & opibus omnibus exutus, Corinthi inter mulierculas, quæ popinam exercebat, vel in myropolio victum queritans, & ex cauponis bibens dilutum, versaretur privatus, tandemque re omni desperata, ludum literarium aperiret infeliciter, tantaque solitudine, ut Diogenes jocatus sit, cum cum Musis & Apolline duodecim habe re dis-

De Divitiis.

re discipulos. Verè de eo dici potest tritum
illud, quod de Crœso ditissimo olim Lydiæ
Rege eundem Fortunæ campum experto,
Poëta cecinit:

Irus erit subito, qui modò Cras sacerat.

Ad eundem modum BELLISARIVS, Dux
gloriosissimus & fortissimus ad eas angustias,
premente invidiâ pervenit, ut excoxcatus Con-
stantinopoli in templo D. Sophiæ panem e-
mendicare coactus sit his verbis: *Panem*
Bellisario date, quem virtus extulit, invidia
suppressit Ita HENRICVS IV. Imperator
Romanorum perfidiâ ab Imperio dejectus,
ab Episcopo Spirensi quem ipse promoverat,
officium apud Ecclesiam Spirensim petiit,
undè vivere posset, *Servire*, ut ipse inquit,
Dominae Dei genetrici, novi enim literas,
possum adhuc subservire choro. Neque ta-
men id ipsum ab ingrato Episcopo obtinere
potuit: Suspirans igitur Cœlar, & multis ef-
fusis lachrymis ad circumstantes conversus
inquit, *Miseremini mei, vos saliem amici mei,*
quia manus Domini tetigit me. Pauloque
post Leodij carceris, in quo à filio custodie-

BELLISA-
RIVS.

Helmo-
dus.

X batur

Caput Quartum

Cap:ii.

batur fætoris impatiens miseram exhalavit animam. Plura exempla suppeditant historiæ omnium temporum. Recte igitur Baruch Propheta: *Ubi sunt principes Gentium, qui dominantur super Bestias, quæ sunt super terram? qui in avibus cœli ludunt, qui argentum Thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitio- nis eorum? qui argentum fabricant et sollici- ti sunt, nec est inventio operum illorum? ex- terminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alij loco eorum exurrexerunt.*

3.

Et ut maximè hoc Numen, quod tanto obsequio à toto Mundo colitur, fidem servet, donec in hoc argastulo fuerit possessor; in morte tamen eum desertum relinquet. Nihil siquidem in hunc mundum intulimus, nihil re- cedentes reportabimus, et hodie fortassis ani- ma nostra à nobis repetetur, et cuius erunt qua- tanto labore, cura, sollicitudine comparavi- mus? Quid nobis congesta auri vis tunc quæ- so proderit? Ut perdix colligit ova et non excludit: Ita comparans divitias; sed injuria, medijs diebus suis derelinquet eas. Psa: 49. Qui confi-

Ecclesi: 5.
1. Tim: 6.
Luc. 12:
Iob: 1.

-famili H
-sub

De Divitijs.

confidunt in divitijs suis etiam si vivat in perpetuum non videant interitum, tamen morientur. Quoniam videlicet tam sapientes morientes: simul insipiens et stultus peribunt, et relinquunt alienis divitiias suas. Eodem modo Syra: Invenies hominem, qui multa corrigit, et comparcit, atque ita ditescit, cogitatque, jam bene constabili vi vires meas, nunc comedam. Tibam, fruarque partis opibus; neque scit horulam illam tam propè adesse, qua moriatur, Omnia relinquat alijs. Cujus rei exemplum dives in Luce 12. cap. nobis proponitur.

Et Salomon: Sicut egressus est nudus de utero matris sua, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo. Misérabilis prorsus infirmitas: quo modo venit sic revertetur. Quid ergo prodest ei, quod laboravit inventum? Cunctis diebus vita sua comedit in tenebris, et in curis multis, et in arumnis atque tristitia. Hoc visum mihi est bonum, ut comedat quis libat, et fruatur latitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vita sua, quos dedit ei Deus, et hoc est pars illius. Et omni homini cui dedit Deus divitiias, atque sub-

Cap. II.

Ecclesijs.

Caput Quartum

Syra:7.

stantiam, potestatemq; ei tribuit, ut comedat
ex eis, fruatur parte sua, & latetur de labore
suo, hoc est donum Dei. Si vero spretis atq;
contemtis his omnibus animum nihilomi-
nus, o avari, ad rapinas ad injustū corradendi
studiū contuleritis. Si ut Iob 20 dicitur, ascen-
derit usq; ad calū superbia vestra, & caput ve-
strum nubes tetigerit; quasi sterquilinum in fi-
ne perdemini: & qui vos viderunt dicent:
Ubi est: Velut somnum avolans non in ve-
niemini, transietis, sicut visio nocturna: Ocu-
lus qui vos viderat, non videbit, neq; ultra in-
tuebitur vos locus vester: Memorare igitur
novissima o homo, considera finem nun-
quam habiturum finem, & tempus secutu-
rum abique tempore. Et ecce jam instat, &
hoc momento fortassis aderit. Quid tum pro-
derit tibi, etiamsi totum mundum lucratus
fueris. Considera tristissimam vocem filij
Dei. Quam difficile est divites intrare in re-
gnum Dei: facilius est ut Camelus transeat per
foramen acus &c: Va vobis divitibus, quia
consolationem vestram habetis. Va vobis qui
saturati estis, quia ejurietis: Va vobis qui
nunc vi-

De Divitijs.

nunc ridetis, quia lugebitis: Sonet in auribus vestris singulis momentis, vox vestri similium ô avari quæ extat. Sap: 5. Vbi se le his verbis consolantur: Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. &c. Quid Epuloni diviti in inferno profuerūt immenso auctu cumulatæ opes, ne guttulam quidem frigidæ ex omnibus opibus habere poterat. Quin potius plorate opulentii, ululant super miseris vestris, quæ supervenient vobis. Divitiae vestrae putrefactæ sunt: Vestimenta et rastatineis obnoxia facta sunt: Aurum & argentum vestrum & rugine vitiatum est, & arugo eorum in testimonium vobis erit, & excedet carnes vestras ut ignis. Ibes aurum concessisti in extremis diebus, in delitijs vixisti super terram, & lascivientes enutriisti corda vestra ut in die occasionis, condemnasti & occidisti justum, non oppositum vobis.

Sapi: 5.

Ex his omnibus luce meridiana clarius evidentiusq; apparet, quod cumulatæ opum congeries nihil faciant ad beatè vivendum

X 3 aut

Caput Quartum

aut perenne Gaudium possessoribus adferat :
sed multò magis , dum vano & irrito conatu ,
frustratoque labore corporis , & animi anxijs ,
ac inutilibus in omni vita curis atque crucia-
tibus , congestæ & asservatæ opes , possessorum
in præsentissimum vitæ , famæ , corporis atq;
animæ pariter periculum coniiciunt ; quod
vitam nullo jucunditatis flore respersam , sed
asperam , tristem , denique omni miseria ple-
nam efficiant : & in magna rerum affluentia ,
possessorum inopem & egenum relinquant .

Nihil itaque consultius est , quam ut spre-
tis contemptisque his caducis & momenta-
neis Mundi & Fortunæ bonis , abjectâque
nimiâ illâ rerum parandarum curâ & sollici-
tudine ; si mediocris nobis rerum suppetit u-
sus , præsentibus simus contenti , & præter sor-
tem nostram nihil expectamus amplius : quin
imò animum & mentem præstantissimam
nostræ partem , ab his fecibus avocatam , lon-
gissimeque semotam ; comparandis veris per-
iectisq; bonis , ab omnibus corporis & animæ
cruciatibus ac molestijs longè alienis , & in
quibus vita Beata veraq; requies consistit ,
appli-

De Divitījs.

applicemus. Dementia enim est, alienis vel-
le nitescere bonis, dum propria haberi pos-
sunt: & vilibus sarcinulis comparandis, no-
bilissimam occupatam habere mentem, spre-
tis interim veris, proprijs & preciosissimis a-
nimi bonis. Dic quæso? num teipso quic-
quam est pretiosius? Te ipsum igitur primo
loco quære, non quæ longè infra te sunt posi-
ta. Deus te creaturarum omnium Domi-
num, non servum aut mancipium auri argen-
tiique constituit, tibi igitur serviant, nec tu il-
lis. Itane, inquit Boëtius. nullum est propri-
um vobis atq[ue] insitum bonum, ut in externis
ac depositis rebus bona vestra queratis. Sic re-
rum versa est conditio, ut divinum meritò ra-
tionis animal, non aliter sibi splendere, nisi in-
animata suppellectilis possessione videatur?
Et alia quidem suis rebus contenta sunt, vos
autem Deo mente consimiles, ab rebus infimis
excellentis naturæ ornamenta captatis. Nec
intelligitis quantam conditori vestro faciatis
injuriam. Ille genus humanum terrenis o-
mnibus præstare voluit. Vos dignitatem
vestram

CVPAT

Caput Quartum

vestram infra quæque infima detrudit. Nam si omne cuiusq; bonum, eo cuius est, constat esse prætiosius: cum vilissima rerum vestra bona esse judicatis; eisdem vosmet ipsos vestra existimatione submittitis. Quid quidem haud immerito cadit. Humanae quippe naturæ ista conditio est, ut tum tantum cæteris rebus, cum se cognoscit, excellat. Eadem tandem infra bestias redigatur si se nosse desierit. Nam cæteris animantibus sese ignorare natura est: hominibus vero virtus venit.

Ex hac igitur proprij boni cognitione ad cæternorum & cælestium bonorum agnitio-
nem , ductu Spiritus divini accedamus:
in qua vita verè beata existit, & cuius contem-
platione, mentes nostræ tantâ latitudine perfun-
duntur, cælestibusque bonis veris & perfectis
ditantur , ut magis magisque hæc infima , il-
lis fordescere incipient : & cum D.

Bernhardo tandem exclamemus:

O Spiritus qui de sursum es tu,
quid vobis cum in-
fimis!

CAPVT

de Gloria & Honore.

CAPVT QVINTVM.

*ANGLORIA, HONORES ET
dignitates Beatam vitam efficiant: Ve-
rum perfectum & perenne Gau-
dium conferant.*

St & quædam alia hominum familia, qvæ non usq; adeo parandis conservandisque opibus incumbit; sed Gloriz & Laudis avidissima, omne studium & industriam suam huc confert, ac omnes ingenij nervos eò intendit, ut in summo aliquo dignitatis fastigio collocata, magnificisque titulis & honoribus ornata, in ore & calamis omnium versetur, & publicæ famæ præconio commendetur. Itaque in id maximum incumbit, ut, posthabitatis rebus alijs omnibus, memoriam duntaxat nominis lui, à situ & pulvere vindicatam, præclaro aliquo monumento ad posteros transmitat, & vitam de cætero agat cum gloria splendidissimam.

In Heroicis animis maximè hæc domina-
Y tur

Caput Quintum

N

Alex:

Mag:

Plutar-
chus.

CAESAR.

tur cupiditas, quæ etiam in ALEXANDRO illo magno ab ipsis incunabilis conspiciebatur. Puer, patre Philippo multas suas referente victorias, minimè lætabatur; sed ad condiscipulos & coætaneos conversus: Nihil mihi, inquit, reliquum faciet pater: putans, patrem omnem jam gloriæ adipiscendæ occasionem antevertisse. Subiicientibus pueris, ei omnia parari: Quid refert, respondit, multa si habeam & agam nihil, omnisque parandæ gloriæ materia mihi præripiatur. Et quæ res eum instigavit, ut adultior factus, totum orbem armis impleret; nisi ambitio, & Achillis gloriæ æmulatio? qvem eodem planè modo Hectorem æmulatū esse, historiæ reflectantur. Alexandri rursus æmulus Caius Iulius CAESAR, eum Gades pervenisset, & in Herculis templo Alexandri imaginem forte contemplatus esset, ingemuit: quasi pertæsus ignaviam suam, qvod nihil dum à se memorabile actum esset, in illa ipsa ætate, qvâ jam Alexander orbem terrarum subegisset.

Verum enim vero hæc res, ut rivus est ex fonte labis primorum parentū in omnes posteros

de Gloria & Honore.

Steros diductus : ita nemo non hac gloriæ cu-
piditate, qvâ inde usque à prima sui origine in-
qvinatus est, laborat. An non videmus infan-
tes & pueros, quavis vel minimâ re supra æqua-
les efferti, eosque ut s'iperent summo studio
contendere, offici letitiam cum vicerint, victosq;
pudere? Qvos illi labores non perferunt, ut
equalium principes fiant? In CYRO indoles
gloriæ cupidissima tempestivè apparuit. Cum
à pueris inter ludendum Rex creatus esset,
Regiam præ se tulit magnanimitatem & splé-
dorem, Heroico planè animo cæteris impe-
ravit, jus administravit, contumaces punivit:
coram Astyage delatus, qvòd servus Regius
bubulciique filius, ingenuos servilibus verbe-
ribus affecisset, causam luam summâ constan-
tiâ defendit; fecisse se ut Regem, intrepido
vultu & animo affirmans. Pòst verò nul-
lum non laboreni pecculit, nullum non peri-
culum laudis gratiâ sustinuit.
Cum igitur hæc cupiditas omnium homi-
num, præterim qvi erectioni sunt animo, &
generolâ indole prædicti, mentes, occupet, &
leuciosâ sui pulchritudine decipiatur: Vide-
mus

Cicero.

CYRUS.

Iustinus.

Herodo-
tus.

Xeno-
phon:

Caput Quintum

mus deinceps , an quæ vera Beatitas , verum-
que gaudium à gloria & dignitate proveniat.

*Laudis Gloriarū studium , an faciat aliquid
ad beatè vivendum , & verum gau-
dium conferat ?*

Non delectatur Deus rerum omnium conditor, hominum à se conditorum vel socordiâ vel segnitie, ut in obscuro, & vitorum omnium tenebris, ignavo torpescant otio , & vitam agant brutis animalibus similimam : sed ad imaginem suam condidit eos, non ut inani virtutis fupo , sed veræ pietatis studio , ex his vitiorum lustris emergant , immortalemque nomini suo lucem acquirant , ac famæ celebritatem consequantur.

Servilia verò ingenia malunt otio, voluptatibus & liqvore torpescere, qvam arduum virtutis ac Gloriarū collem ascendere , susque de que faciunt , quo loco & existimatione sint apud alios. *Estq; inquit Cicero , angusti ani-
mi atq; demissi , honores & dignitates contem-
nere.* Itaque SPARTANI olim liberos suos ita instituerunt , ut à prima mox ætate Gloria

SPAR-
TANI.

de Gloria & Honore.

riâ ducerentur, infamia ingemiscerent, & exultarent laudibus. His qui non commovebantur, tanquam ignavos & ad virtutem degeneres contemserunt. Honos enim alit artes, omnesq; incenduntur ad studia gloriae.

modum
sive

et. Diocacio
egredient

Generosus quoque animus, & nobilissimâ indole prædictus, hûc omnes ingenij & industriae vires intendit, & nihil in omni vita magis expetendum esse dicit, quam ut in luce hac omnium clarissimâ constitutus, vitam gloriosè agat, & mediocrem nominis sui consequatur splendorem. Magno igitur & elato animo, curas omnes & labores, quæ huic rei impendit, damna quoque & jacturam bonorum vel omnium contemnit, atque adeò præ pulcherrimo hoc laudis studio, omnes vel corporis cruciatus, omniaque mortis pericula, parvi esse putanda, existimat. *Trahimur omnes, inquit Cicero, laudis studio, & optimus quisq; maxime gloriam ducitur.* Nec dissimile est Catonis illius majoris judicium, cum inquit: *Perfecti homines & excellentibus ingenij prædicti excitantur spe gloriae.*

Non improbamus hunc conatum; at vi-

Y 3 tam

I.
A defi-

Caput Quintum

nitione
gloria.

nam verè beatam in eo neutquam consistere
judicamus. Causa est, quod plerunque homi-
nes, gloriæ & honoris avidissimi, fuso dunta-
xat, & talsâ virtutis specie, inanique nomine
malunt aurem popularem vanamque glorio-
lam captare; quam arduo pietatis, ac veræ vir-
tutis studio, veram gloriam, & immortale no-
minis decus demererit. Pauci famam suam,
non populari rumore, sed conscientiæ verita-
te metiuntur. Hic morbus totum corruptit
orbem terrarum.

Hinc tam varia & vana, atq; etiam diversa
sunt hominum ambitiosorum, ad aucupan-
dam aurem popularem, studia. Hic superbiâ
inflatus, simulatâ in omnibus negotijs aliquâ
magnificentia, ex fastu honorem & laudem
quæritat: Itaque singula verba, & singulos
gressus suos enumerat. Alius plus justo lese
demittens, submissi animi laudem venatur.
Hic divitias ostentat suas; ille paupertatem &
nopiam; inani uterque fastu laudem captat
inanem. Hic veste spéndidâ induitus, se-
ipsum admiratur, atque ab omnibus suspici-
cupidit; alias lacerâ & pannolâ veste ince-
dens

de Gloria & Honore

dens , humilitatis fucatam præbet speciem.
Sic religionis & pietatis hypocrisi, totus mun-
dus decipit & decipitur.

Itaque cum aliquando Laërtius, adolescen-
tes Rhodios elegantiori cultu incedere con-
spexisset: *Hic fastus est, inquit. Qvod ani-*
madvertentes Lacedæmoniorum juvenes,
substrictâ tunica parçè sordidèque amicti in-
cedebant. Quibus visis, dixit Laërtius: Hic
alius fastus est. Cumque ANTISTHENES Phi-
losophus vestem laceram & detritam ambi-
tiosius sæpè ostentaret, à Socrate derisus, &
ambitiosa superbiæ incusatus est. Ejusdem
enim, inquit Erasmus, ambitionis est, vilita-
tem amictus ostentare, & delicato cultu sele
venditare. Rectius autem Plato vir sapien-
tissimus, modum & auream mediocritatem
cùm in vestitu, tùm in alijs rebus omnibus
servans; licet esset frugalis, amans tamen mun-
ditici erat. Contrà verò DIOGENES Cy-
nicus supra modum sordidus, aliquando cal-
cans Platonis aulæa & peristromata: Calco,
inquit, fastum Platonis. At Plato, Calcas
(respondit) sed majori fastu. Hic Diogenes
gloriae

Laërti-
us.

Eras:lib:3.
Apoph:
Antz-
sthenes.

Plato.

Dioge-
nec.

Caput Quintum

gloriarum & laudis avidissimus, quo virtute non
poterat, suco pervenire contendit, Ecum te-
nopeles conjugio frustraretur, ad ancillas con-
versus est. Ex ambitione ab hominum con-
tubernio segregatus, in dolio, eoque parum
integro habitavit, honores contempsit, nec
quicquam proprij, nisi à natura datum, ha-
bere voluit. Itaque bibentem ex manu con-
spicatus, poculum ligneum, unicum totius
domi instrumentum quod habuit, & ipsum
abjecit. Non sciebam inquietus naturam ho-
minibus poculum suppeditasse. Iactavit pas-
sim se tragicas ferre & implere execraciones.
Nam erronem se esse, domo, civitate, patriâ
carere, mendicum agere, tenui veltitu uii &
in diem vivere. Olera lavanti cum Aristip-
pus dixisset: Si Dionysio adulareris, ista non
esses; Imo respondit, si tu ista esses, Dionysio
non adulareris. Interim tamen animi celli-
tudinem præ se ferebat tantam, ut cum o-
mnes Philosophi ad Alexandri M. belli con-
tra Persas, à græcis Ducem electum, ex varijs
locis salutatum venissent; ipse in crânio suo
otium agens, nihil de Alexandro sollicitus
erat

de Gloria & Honore.

erat. At postquam ad illum Alexander venis-
set, & ante dolium ejus, in quo tūm fortè apri-
cabatur, consideret, qværeretqve: Ecqua re
opus haberet; jubet eum paulisper ex sole re-
cedere: non enim sibi dare posse, quod au-
ferret. Hyeme frigidâ perfusus aquâ, stetit
toto destillans corpore: At Plato commis-
tentibus tanquam indigna passum dixit: *Si*
vultis commiserari Diogenem, abite: Ho-
minis notans ambitionem, ob quam misere-
rat potius quam miserandus. *Et tamen, in-*
quit Laërtius, in his fôrdibus non minus sibi
placebat, quam Alexander in totius orbis im-
perio.

Laërtius
lib: 6.

Sed vtriusque Gloriæ veræ nimirum &
falsæ dissimilia in actis Apostolorum ref-
runtur exempla: Iosæ Barnabas agrum su-
um vendidit, pecuniam ad pedes Apostolo-
rum detulit integrum, ut adolescentis Eccle-
siæ & persecutionem patientis necessitatem
suis opibus sublevaret; idque ex vera animi
simplicitate, absque omni fuko & ambitionis
notâ. Quo facto tantam nomini suo acqui-
sivit Gloriam, ut filius consolationis ab Apo-

Iosæ
Barna-
bas.
Actor: 5.

Z stolis

Caput Quintum

ANANIAS

stolis nominaretur. At ANANIAS, hujus exemplum falsò imitatus, vendidit & ipse agrum, sed parte pecuniae absconditâ, reliquam ad pedes Apostolorum detulit; sperans se eandem laudem consecuturum. Verum tantum absfuit, quo voti sui compos redderetur, homo inanis gloriae stimulis exagitatus: Vt quia non recto corde incederet, & S^rui S^to. mētiretur, vna cum fama & nominis celebritate, vitam ipsam mirabili Dei judicio amitteret.

CALIGV-
LA.

Eodem planè falsæ laudis affectu CALIGULA laboravit, de quo Suetonius: quod sapere de conditione sui temporis sit conquestus, illud nullis calamitatibus publicis insigniri, neque si bi materiam rei gerenda administrari: hinc um terræ optasse, in quo, exemplo M. Curtij ad patriæ salutem insiliret: Cædes item, famem, pestem, bella & ejusmodi alia, ut Alexandri M. Iulij Casaris & Scipionis virtutes emularentur. In expeditione Germanica, deficiente belli materia, contra Sylvas & arbores, contraq; Oceanum movisse: nihil aliud agens, nisi quod truncatis arboribus, ac in morem Trophaorum adornatis, & militibus conchas tegere jussis; ingens

de Gloria & Honore

ingens se belli marisq; periculum adiisse, gloria-
retur. Romam terrestri magna ex parte itine-
re, Triremes quibus Oceanum introierat, velu-
ti signa periculi misisse, addito gravissimo edi-
cto, quo senatum populumq; Romanum objur-
gavit, quod Cæsare præliante, tantoq; discri-
mini objecto, intempestiva convivia, amicæ-
nos secessus, lati & hilares celebrarent. Mili-
tum verò animos quotidie vulgato illo Virgi-
lij; durarent, secundisq; se rebus servarent; in
tanto cum sylvis & Arboribus præliandi peri-
culo, confirmavit.

Falluntur igitur & decipiuntur homines,
quod putant, ad laudis & gloriæ fastigium
posse se absque omni virtutis veræ & pietatis
studio, labore & sudore, condescendere. Proin-
de spretis his, quæ ad gloriam & honorem adi-
piscendum, divina providentia constituit me-
dijs; jnani duntaxat spetie virtutis & laboris,
clarescere, & fuco quodam fascinatas atque
dementatas tenere hominum mentes, ab o-
mnibus laudari, & publicæ famæ præconio
commendari volunt.

Recte igitur D. Apostolus hos tales per-

Z 2 strin-

Caput Quintum

NB
Galat: 6.

Cap: I.

stringit, dum ita in eos evchitur: Si quis sibi
videtur aliquid esse, cum nihil sit, suum ille fal-
lit animum, opus igitur suum probet quisq; E
tum in semetipso tantum gloriam habebit, E
non in alio Et Syracides: Cave fili ne fallaci pi-
etatis spetie timeas Deum, neq; accesseris ad eū
duplici corde, ne fueris Hypocrita in conspectu
hominum E non scandaliseris in labijs tuis.
Attende in illis ne forte cadas E te ipsum in
contemptum conijcas, si quando revelet Deus
abscondita tua, E in medio Synagogæ elidat
te. Quoniam nullo vero timore sed maligne
accessisti ad Dominum, E cor tuum plenum
fuit dolore E fallaciâ. Quam *n̄ v̄ o d o g i a v &*
Seneca Ethnicus detestatus inquit: conscienciam
potius quam famam attende; sed pleriq;
famam, pauci conscientiam verentur. Et E-
pistola 61: Illud præcipue nos impedit, quod
citò nobis placemus: si invenimus qui nos vi-
ros bonos dicant, qui prudentes, qui sanctos,
non sumus modi à laudatione contenti: quic-
quid in nos adulatio sine pudore congesserit,
tanquam debitum putamus: Optimos nos esse
sapientissimosq; affirmantibus assentimus, cum
sciamus

de Gloria & Honore.

Sciamus eos sape multa mentiri: adeo quoq[ue] indulgemus nobis, ut l[et]ari velimus in id, cui contrarium maxime jacimus. Vera enim Gloria conscientię propriæ testimonio & bonorum omnium rectè judicantium approbatione constat. Estq[ue] consentiens laus bonorum, & incorrupta vox benè judicantium de excellenti virtute.

Cicer:

Si quis igitur revera is fuerit, qui esse vult & debet, & qualis ab omnibus cupit celebrari, hunc demum ad veræ gloriæ culmen ascendisse dixerim, & perpetuum nomini suo decus & splendorem acquisivisse. Is verè dignus est, quem omni laudum genere, & honore prosequantur omnes. Hūc respiciunt sacræ literæ, dum pietatem & timorem Dei, Gloriam & gloriationem & latitiam & coronam exultationis appellant, atque insigni hoc Elogio ornant: quod initium dicunt esse omnis sapientia: & quod nata sit cum fidelibus, seu in intimis cordium penetralibus sedem suam, non in labijs aut thrasonica factorum suorum jactantiâ constitutam habeat: & cum lectissimis fæminis gradiatur: & cum justis

AB
Socrate:
Val: Maxi
Aristote:

Syrrach: 4

Z 3 & fide.

Caput Quintum

Syr: ii.

Fidelibus conversetur. Sapientia humiliati exaltabit caput illius, in medio magnorum sedere illum facit. Corona sapientia timor Domini, reddens pacem & salutis fructum.

Philip: 4.

NB:

Eadem ad gloriam media monstrat D. Paulus, dum inquit: Quaecunq; sunt vera, quaecunq; honesta, quaecunq; justa, quaecunq; pura, quaecunq; accommoda, quaecunq; boni omnibus: Si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate. Et veteres dixerunt, verum decus in virtute positum esse: Honorem virtutis esse præmium & perpetuum comitem.

Vera virtus via est, quâ famam nominis nostri ab oblivione vindicamus, claraque in luce reponimus. Vera virtus & non simulata, in stuporem posteros nominis nostri adducit. Vera denique virtus veris nos laudibus ornat, ex situ & pulvere excitatos supra astra collocat.

Romani.

Id quod veteres Romani quam pulcherrimè indicare, & ceu viva jimage oculis omnium subjcere voluerunt, duobus extunctis templis, quorum alterum Virtuti alterum Honori consecrârunt: Neque patuit ad sa-

de Gloria & Honore.

ad sacram Honoris ædē aditus , nisi per ædem
sacram Virtutis. Viderunt sapientes homines
numquam ad arduum & sublimem Gloriæ
montem posse perveniri , nisi superatis virtu-
tum collibus. *Honos ipfi virtuti ita naturā*
inest, ut protinus in eos, quibus fuerit adjuncta,
sese transfundat.

Cum igitur vera virtus nihil moretur ho-
minum laudes , inventi multi sunt qui à po-
pulari gratia , & multitudinis applausu , ita ab-
horruerunt , vt omni studio caverint , ne ad
populares aures vitam instituerent suam , ma-
lueruntq; viri boni esse , quam prædicari . O-
mnes igitur actiones suas ita instituerunt , vt
soli Deo & conscientiæ suæ satis facerent , De-
oque soli probarentur , *Non nobis , inquit va-*
tes, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et
Psal: 28. *Afferte Domino gloriam & hono-*
rem, afferte Domino gloriā nominis ejus: Qui
gloriatur, in Domino gloriatur. Quo in ne-
gotio ipse filius Dei suo nos instruens exem-
plo , miracula edidit innumera , & Majestas
arque potentia ipsius omnium votis respon-
debat : Tantum tamen aberat , quod inde sibi
glori-

Psal: 115.

N
Christus.